

Hæreticis non sunt re baptizandi: quod in baptismo tres Personæ sunt exprimentur: quod Mater Dei semper fuerit Virgo: quod aqua benedicatur, quod frons Cruce signetur, quod aqua in Calice miscetur: quod Eucharistia à jejunis sumatur: quod diebus festis à servilibus abstinetur. Et similia. Etiam traditiones Ecclesiasticæ servari debent: ut sollemnis ratio Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, C. 5. D. 11. C. 6. de Celebrat. Missar.

TIT. V.

De Postulatione Prælatorum.

125 **P**ostulare aliquando significat, advocare in iudicio, ut in tit. de Postulando. Sed in præsentis postulatione est ejus, qui eligi non potest concors Capituli facta superiori petitorio, C. 20. c. 23. de Elect. Et tot. hoc Titulo, estque adeo affinis electioni, ut sæpe indifferenter una pro alia sumatur, ut in C. 14. D. 63. Et in C. Valentianus, 3. D. 63. ubi loquendo de postulatione D. Ambrosij dicitur: Cum autem ordinatione Divina Ambrosius nondum baptizatus electus fuisset. Verè tamen differunt in eo, quod eligitur dignus, & habilis ab omni impedimento expeditus: postulatur dignus, inhabilis tamen, ex eo, quod impedimentum habeat, C. 6. b. t.

126 Postulatio est duplex: alia *solemnis*; simplex alia. *Solemnia est*, quando dirigitur ad Superiorem, qui potest dispensare. *Simplex*, quando dirigitur ad illum, qui dispensare non potest: imò nec est necesse, quod dispense, sed tantum ejus licentia, vel consensus requiritur, ut si aliquis Religiosus assumatur in Episcopum, tantum indiget licentia sui Superioris, nec est necessaria dispensatio, C. 27. c. 36. de Elect. in 6. l. 24. tit. 5. p. 1. Postulatio simplex apud Superiorem immediatum, à quo habenda est licentia debet interponi: sollemnis apud illum interponitur, qui in impedimento potest dispensare, & qui potest confirmare electionem, si esset electio: quippe admissio postulationis vim Confirmationis habet, & sic postulator idem jus habet, ac si esset electus, & confirmatus. Et si Ecclesie utilitas exigat, potest Pontifex Episcopum consecratum postulationem ad aliam Cathedralium, ad eam acceptandam cogere, C. 35. 7. q. 1. Et licet Superior

non teneatur ex rigore justitiæ postulationem, sibi præferatam admittere, cum ab ejus gratiosa dispensatione dependeat, nec fit jus postulato adquisitum, C. 5. b. t. ex debito tamen officij tenetur eam admittere, potestque ad id à Superiore compelli, Gl. in c. 3. b. t. v. gratia, L. 24. tit. 5. p. 1.

127 Postulatio etenim cum fit via extraordinaria, & indiget dispensatione, innitur gratia Superioris, C. 5. b. t. secus electio: hæc enim justitiæ innitur, & dat jus electo: nec potest post publicationem scrutinium revocari ab eligentibus, sed facienda est collatio. Et ad hoc posuit per Superiorem compelli, C. 58. de Elect. postulantes verò, antequam Superiore postulationem præsentaverint, illam revocare possunt; quia postulato necdum est jus adquisitum, C. 3. b. t. non verò postquam eam Superiore præsentarunt, ne Superioris iudicium illudatur, aut videatur dependere ab arbitrio postulantium, C. 4. b. t. Denique postulatio est introducta in electionis subsidium, ut qui aliquo impedimento obstante non potest eligi, saltem dispensativè possit ex postulatione ad Prælatum assumi. Qui enim nullum impedimentum habet, non indiget postulari, sed debet eligi. Et licet decens sit, quod eligatur aliquis de gremio Capituli in illius Prælatus; arg. C. 4. c. 5. 18. q. 2. non tamen est impedimentum Canonicum, quod sit extraneus, C. 2. de Election.

128 Postulare possunt aliquem in Prælatus, qui possunt eligere, ut est *com. DD. ex C. 4. b. t.* adeo, ut mandatum ad eligendum, etiam ad postulandum datum censetur, C. 30. de Elect. Et licet aliquando possit postulari, qui non potest eligi, tamen potest accedere, quod aliqui nec eligi, nec postulari valeant. Tales sunt furiosi, amentes, rudes omnino, homicida, perjury, corpore vitiosi, infames, bigami, spurij, & alij hujusmodi, C. 40. de Elect. arg. C. 10. de Renuntiat. Greg. Lup. in l. 24. tit. 5. p. 1. v. Señalador, Gonz. in C. fin. b. t. n. 7. Solum ergo postulantur, qui cum digni sint, solum ex Jure Canonico habent ad electionem passivam impedimentum, & quidem non difficultis dispensationis. Hæc ratione Novitius postulatur in Prælatus, C. 13. de Election. similiter postulantur illegitimi, & qui carent litteratura, atque, vel ordinibus requisitis, C. 20. c. 22. de Elect. l. 24. tit. 5. p. 1. Episcopus tantum electus eligitur, non postulatur ad aliam Ecclesiam, quia conjugium spiri-

tua-

tuale inter ipsum, & Ecclesiam non est perfectè contractum, sed tantum inchoatum. Si verò si conjugium spirituale jam ratum per confirmationem, vel consummatum per consecrationem, etiam sit Episcopus *Titularis* tantum, Populo, & Clero carens, quia suam habeat Ecclesiam in partibus in fidelium, qui *Hispanè dicitur de anillo* (forte, quia non Dioecesim, sed tantum annulum in signum matrimonij habet) si ad aliam Ecclesiam promoveatur, postulandus est, C. 1. c. 2. c. 3. c. 6. b. t. L. 24. tit. 5. p. 1. quia habet impedimentum Canonicum, scilicet, conjugium spirituale, in quo est dispensandum à R. Pontifice, nec primam Ecclesiam, quæ est ejus conjux, potest propria autoritate dimittere, C. 2. de Translat. Episc. Cardinales, non Episcopi, & alij Prælati Religionum, cum nullum propriè conjugium spirituale cum suis Ecclesijs habeant, non sunt postulandi solemniter. Sed quia Cardinales sunt specialiter Ecclesie Romanæ adstricti, & alij Prælati suis Superioribus, & Ecclesijs sunt devincti, adeo ut per eorum mortem, Ecclesia vacans dicatur, licet improprie, viduata, C. 41. de Election. ut promoveantur, indigent Superioris licentia, ac proinde postulantur, simpliciter tamen, C. 3. b. t. c. 36. de Elect. in 6. Qui verò in aliquibus Ecclesijs, ut in compostellana, Cardinales vocantur, cum verè Cardinales non sint, non postulantur, sed eliguntur, C. 57. de Elect.

129 Bonifacius VIII. in C. unie. b. t. in 6. irritat electionem, & postulationem simul factam, v.g. *eligo postulando, postulo eligendo: eligo, & postulo.* Cum nec vera electio, nec vera postulatio resultet ex ipsis, quin sibi potius invicem adversentur. Sub hæc forma: *Eligo, & postulo, prout potest melius de jure valere*, solum, quando probabiliter, dubitatur, utrum quis sit eligendus, vel potius postulandus, valet; sed postulatus, ne in incertum vagetur, debet eligere, vel electionem, vel postulationem, & una via electa, non potest ad aliam redire. In postulatione simplici; imò & in solenni debet servari forma præscripta in C. 42. de Elect. ita *Imoc. Panor. & alij contra Hostiens.* quia postulatio, ut subrogata electioni, ejus naturam sapit; arg. C. 41. de Elect. Et cum ei sit accessoria ejus naturam sequitur, C. 42. de Reg. jur. in 6. cum aliis jus nihil speciale statuat pro postulatione faciendâ.

130 Ad postulationem sufficit, sit major, & sanior pars Capituli consentiat; arg. C. 1. de Elect. quæ à major. L. 19. ff. ad Tom. I.

Municip. nisi concurrat etiam electiones hoc est, quod una pars Capituli eligat unum nullo impedimento laborantem, & altera pars postulet Canonico impedimento laborantem: hinc enim, ut postulatio prævaleat, requiritur, ut in postulatum concurrant duæ partes Capituli: si verò electus habeat pro se plerumque tertiam partem suffragiorum, prævalet electio postulationi, & acquiritur jus electo, debetque necessario confirmari à Superiore, C. 40. de Elect. quia cum postulatio, quoddammodo gratiosè à Collegio fiat, C. 3. b. t. congruum non est, tot Collegis invitis, alios benignitatem Collegij velle impartiri, illosque ad gratiam faciendam compellere, C. 6. de Constit. c. 4. 10. q. 2. ibi: *Cum ratio, & usus obtineat, neminem, cui non vult, contra utilitatem, & rationem cogi de proprio facere beneficium.* Si verò totum Capitulum in quinque compromissarios electionem compromittat, sufficit, quod quis à tribus postuletur, nam illa major pars Capitulum repræsentat, C. 30. de Election.

131 Privatur pro ea vice jure postulandi, & eligendi (& probabilius, ipso facto, ante intentionem condemnatoriam, licet declaratoria criminis requiratur) qui non exprimitur in litteris postulationis omnia impedimenta, & defectus postulatoris; arg. C. 20. de Elect. C. 2. de Filijs Presb. in 6. qui scienter postulant indignum, C. 1. b. t. C. 40. de Elect. & illi, qui postquam semel temerè, licet, non scienter, factam postulationem, & rejectam, illam repetunt, C. 2. b. t. & cum delictum tantum suos Autores tenere debeat; arg. C. 22. de Reg. jur. in 6. L. 22. C. de Venis. ad contradicentes expressè, licet, non ad tacentes, vel dissimulantes devolvitur in illo casu jus postulandi, & eligendi, C. 2. b. t.

TIT. VI.

De Electione, & electi potestate.

132 **E**lectio, sic communiter explicatur: *Est alienus personæ idoneæ ad Prælationem, vel fraternam Societatem Canonicè facta vocatio.* Differt. 1. à postulatione: quia hæc innitur gratiæ, electio justitiæ innitur, 2. à presentatione: quia hæc competit Laicis, & potest revocari, & præsentari alius. Electio verò non competit Laicis, & dat jus saltem remotum electo. Electio requirit subsequenter confirmationem, præsentatio verò institutionem, 3. à libera collatione: quia

quia per hanc acquiritur collatio jus reale, & quasi dominium in beneficio collato, nec potest renuntiare sine consensu superioris: electio verò, etiam acceptata solum tribuit electo jus ad rem, ac proinde potest electus, vel postequi electionem; vel eam renuntiare, 4. à nominatione: nam hac nullo jus dat nominatis, C. 28. b. t.

133 Jus eligendi pro temporum varietate apud varios existit. In primitiva enim Ecclesia aliqui Prælati sibi successores constituerunt, accepta à Christo D. potestate, C. fin. D. 68. Mortuis Apostolis jus eligendi Episcopos pertinuit ad R. Pontificem, tamquam successorem Divi Petri, cui summa potestas in totam Ecclesiam à Christo fuit concessa, C. 1. D. 22. postea SS. Pontifices hanc electionem toti Clero, & Populo Civitatis concesserunt, C. fin. D. 91. c. fin. D. 79. c. 13. D. 63. ibi: *Episcopos per Æmiliam non consecres, nisi post electionem Cleri, & Populi.* Et quamquam *Barbosa de Offic. & potest. Episc. tit. 1. cap. 3. n. 5. Machad. in Sam. lib. 4. p. 6. tr. 1. doc. 4. Bellarm. & alij* teneant, Populum verè, aliquando cum Clero Episcopos elegisse, tenendum iudico, illum solum vocari ad consentiendum electioni, non ad electionem faciendam, ut satis clarè explicat Pontif. S. Stephanus in C. 12. D. 63. ibi: *Sacerdotum est electio, quia docendus est Populus, non sequendus.* Et notat Gratianus in C. 25. D. 63. Et ita potest intelligi quod dicitur in C. 22. D. 63. ubi dicitur Adrianum Papam Imperatori dedisse jus Pontificem eligendi: Hoc tamen consuetum à Sigeberto, probant Baron. ad ann. 774. Bellarm. de Script. Eccles. ad ann. 1145. & alij, qui hunc Canonem inter apocryphos enumerant, * sed postea Ludovicus Imperator hoc jus tale quale à se abducavit, & Romanis concessit, C. 30. D. 63. postea hæc potestas Episcopos eligendi fuit concessa Clericis Diocesis, & Religiosis, sine interventus Populi, C. 35. D. 63. postea fuit constitutum, quod Clerici Saculares Episcopos, Religiosi vero suos Prælatos, Abbates, vel Priores eligerent, C. fin. 16. q. 7. Denique jus eligendi Episcopum jure communi recessit in uniuersumque Ecclesie Capitulum, C. 1. b. t. quia nulli rectius, quam Capitulares de meritis eligendi, & Ecclesie necessitatibus, & commode valent informari; arg. C. 5. de Testib. Et cum ipsi sint membra Capituli, id est, Prælati non ad alios, quam ad ipsa membra electio capituli spectare debet, C. 6. de His, qua fiunt; sic in Capitulis, Collegijs, Confraternitati-

bus, aliisque Congregationibus usu quotidiano receptum est.

134 Hic modus eligendi duravit usque ad tempora Bonifacij VIII. & Clem. V. sed postea R. Pontifices ad tollendas discordias, quæ in his electionibus continuo oriebantur, hanc facultatem, quoad beneficia vacantia in Curia sibi reseruarunt, Extr. 13. de Præbend. int. com. Et generaliter, quoad omnes Ecclesias Episcopales ubicumque vacantes, electionem reseruarunt in reg. 3. Cancell. exceptis Regnis Hispania, Gallia, & Polonia; quibus jus præsentandi reliquerunt. In Germania tamen adhuc servatur modus eligendi, de quo in hoc titulo agitur, per concordatam inter Nicolaum V. & Federicum III. In nostra Hispania nostri Catholici, Potentissimique Reges habent jus Patronatus omnium Cathedralium, jusque ad ipsos Episcopos præsentandi. In pro Regnis Hispania, & ejus Ditioni subiectis consistit ex L. 1. tit. 6. lib. 1. R.C. ibi: *Por derecho, y antigua costumbre, y justos títulos, y concessiones Apostolicas, somos Patron de todas las Iglesias Cathedralas de estos Reynos, y nos pertenescence la presentacion de los Arzobispados, Obispados, y Prelacias, y Abadias Conffloriales de estos Reynos, aunque era quen en Corte de Roma. Quod corroboratur ex C. 25. D. 63. de quo Gregor. Lop. in L. 18. tit. 5. p. 1. Azcoed. in d. L. 1. Recop. Gonz. in C. 2. b. t. n. 9. Barbos. de Potest. Episc. tit. 1. cap. 3. ex n. 27. & alleg. 57. num. 88. Camil. Borcl. de Præsent. Regis Cathol. cap. 50. in Regno Granatenfi pertinent ad Regium patronatum omnes Canonicatus, & Dignitates, & omnia beneficia tam curata, quam simplicia, Bobad. Polit. L. 2. cap. 18. n. 221. idem est in his Indiarum Regnis, ex L. 10. per tot. tit. 6. lib. 1. R. Ind. Solorz. de Jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 2. & 3. Villaroel, Frasso, & alij. Mortuo enim Episcopo Rex ejus bona in custodia accipit, L. 18. tit. 5. part. 1. taliaque spolia in Hispania colligi facit, Castellæ Regius Senatus, & lites, quæ super eis moventur determinat, & solutionem famulorum, & creditorum jubet fieri. In Indijs tamen Regiæ Cancellariæ de his cognoscunt. De qua praxi est videndus Solorz. de Jure Indiar. tom. 2. lib. 4. cap. 3. n. 34. & in Polit. Indiar. lib. 4. cap. 11. f. 586. Et hoc jus patronatus, ad summum olim habuerunt Reges; & Imperatores, licet in aliquibus Canonibus plus ipsis concedi videatur. Cum Laici, nec per consuetudinem immemorialem possint acquirere jus eligendi,*

C. 56. b. t. quia est jus spirituale, cujus incapaces sunt Laici; arg. C. 51. b. t. nisi ex Pontificia facultate. Jam ergo venimus ad jus commune. Clerici enim extranei, qui non sunt de corpore Capituli, nec membra illius communitaris non possunt eligere Prælaturam, nisi habeant privilegium R. Pontificis, vel id ex consuetudine habeant, C. 8. de Consuet. Et quidem præscripta 40. annis, intra quos aliqua saltem electio sit facta, & confirmata à Superiori, vel saltem nulla sit rejecta. Etiam possunt hoc jus habere, ex fundatione, si à Patrono Ecclesiastico talis imponatur conditio, C. 23. de Jure Patron. à Laico tamen non potest poni. Reducitur ergo jus eligendi Prælaturam, non ad omnes Clericos, vel Beneficiatos illius Ecclesie, sed ad solos illos, qui ut membra illius Ecclesie actu constituunt Capitulum, & Canonici; & Capitulares vocantur, communi sigillo utuntur, & constituere valent communem procuratorem, vel Syndicum; arg. C. 14. de Excessib. Prælator. Et quidem saltem tres requiruntur ad constituendum Collegium, vel Capitulum, L. 85. ff. de Verbo. signif. potest tamen conservari in duobus; arg. C. 1. b. t. vel etiam in uno, L. 7. §. fin. ff. Quod cuiusq. univers. Imò in parietibus, & fundo conservantur Collegij privilegia realia, si omnes moriantur: cum facilius jura conserventur, quam adquirantur, L. 8. ff. de His, qui sui.

135 Ut quis habeat jus eligendi, sufficit, quod bona fide possideat præbendam, cui tale jus est annexum, licet illius proprietatem non habeat: nam tunc, ut bonæ fidei possessor percipit fructus præbendæ, L. 48. ff. de Acquir. rer. dom. ac proinde habere debet iusfructum in electionibus, quia est quasi fructus juris eligendi, C. 24. b. t. secus si mala fide possideat; arg. L. 23. C. de Rei vindicata. sed etiam si lis moveatur super proprietate beneficii non deturbat possessorem à jure eligendi, quia lite pendente, nihil est innovandum, C. 1. Ut lite pendente. Secus est si controversia moveatur super ipso jure possessionis, quia tunc litis finis, & exitus expectatur, C. 2. de in Integr. restit. Hæc quasi possessio eligendi, unica electione acquiritur, C. 7. de Usura possess. & prop. Et sufficit electio ad manifestationem unam electionem probare; arg. L. 1. §. 4. ff. de Aqua quotid. præcipue ultimam: nam possessio, quæ fuit temporè perturbationis attenditur, §. Retinenda, 4. in fi. de Interdict. c. 9. de Probat. Gonz. Tom. I.

in c. 24. b. t. Et consonat de jure Hispano: L. 9. tit. 15. p. 1. ibi: *Por esso non deff. quitar aquel Clerigo la Eglefia, pues fue presentado de aquel, que era en tenencia, & le tenian los homes de aquel Lugar por Patron. Et ibid. Greg. Lopez.*

136 Ex electoribus nullus potest seipsum eligere, quia inter dantem, & accipientem debet esse distinctio personalis, c. fin. de Institut. ne alias ambitioni anadaretur. Nec ullus Prælatus Ecclesiasticus potest sibi eligere successorem in Episcopatu, vel Prælatura, ut sic omnis species hæreditariæ successions in beneficijs Ecclesiasticis tollatur, C. 3. cum seqq. 8. q. 1. si Div. Petrus S. Clementem sibi in Pontificatu successorem elegit, C. 1. 8. q. 1. hoc tribuendum est speciali Dei inspirationi, non vero, ut ceteri Prælati hoc exemplum ad consequentias trahant: quin imò deberent trahere exemplum S. Clementis, & Ecclesie, qui noluerunt electioni consentire, ne ab alijs hoc exemplum sequeretur: vel etiam potest dici quod Div. Petrus illo facto solium virtutes S. Clementis Ecclesie commendavit, ut postiptum in Pontificem eligeretur, C. 2. 8. q. 1.

137 Ex Capitularibus, qui actu constitutum Capitulum ab electione activa, seu jure eligendi excluduntur. 1. furiosi, quia iudicio carent, L. 40. ff. de Reg. jur. 2. impuberes, C. 32. b. t. in de 6. 3. qui Sacris Ordinibus non sunt decorati, C. 1. 2. de Et. ar. & qualis, Trid. sess. 22. de Ref. cap. 4. Hi enim non habent vocem activam in Ecclesijs Cathedralibus, Collegiatis, & Regularibus, habent tamen jus eligendi si in sacris sint constituti tempore electionis, etiam post vacationem Prælaturæ sint ordinari, vel etiam si ante aratem ob dispensationem ad sacros Ordines ascenderunt, imò etiam absque dispensatione sint ordinati, dum tamen bona fide processissent; secus si mala fide: nam tunc, vel ipso jure sunt privati iusfructu ex Const. Pij II. cum ex Sacrorum an. 1461. vel saltem ob eorum temeritatem debent privari.

138 4. Excommunicatione majori ligati, C. un. Ne Sede vacante in 6. Suspensi simpliciter; vel expressè à voce activa, vel ab officio, C. 16. b. t. non verò suspensi à beneficio tantum, Gonz. in c. 16. b. t. n. 2. quia ferre suffragium est actus jurisdictionis, vel officij. Interdicti personaliter à jure eligendi excluduntur, & etiam qui interdictum locale temerè per celebrationem Missæ violarunt, C. 16. b. t.

c. 18. §. *In vero*, de *Sent. excom. in 6.* Hordie post Extrav. *Ad evitanda.* Hi omnes censurati, si denunciati non sint, nec Clericorum notarii percussores, si per exceptionem non repellantur, eligere possunt, illorum enim suffragium tunc valet, non ob illorum, sed ob utilitatem Ecclesie, Prælati, & aliorum fidelium. Si vero sint vitandi est electio ipso jure nulla; arg. c. 8. de *Sent. excom. in 6.* Et ad non censuratos devolvitur jus eligendi; arg. c. 2. de *Postul. Prælat.* Imò, & nulla est electio celebrata à non censuratis, si scienter censuratum admiserunt; arg. c. *fin. de Procurat.* Et est communis opinio Canonistarum, *Suar. de Cens. D. 14. sect. 2. n. 17.* Minoris verò excommunicatione ligatus licet non possit eligi, eligere tamen potest: nam excommunicatio minor tantum privat participatione Sacramentorum, non tamen communicatione fidelium, c. *fin. de Cleric. excom.* taliter enim ligatus habet vocem activam, licet passiva careat.

139 §. Qui ad Episcopatum postulant, vel elegerint indignum, c. 2. de *Postul. Prælat.* c. 40. b. t. 6. Recipientes postulatam ad Ecclesiam tanquam intuitum, vel administratorem ante admissionem postulationis à Superiore factam, C. 23. b. t. 7. Qui non elegerunt intra tempus præscriptum, C. 41. b. t. 8. Qui formam eligendi non servarunt, C. 42. b. t. Irregulares non privantur suffragio, cum nullo jure hæc poena probetur, nisi irregulares sint ex temeraria celebratione in loco interdicto, c. 18. §. 1. de *Sent. excom. in 6.* *Suar. de Cens. D. 40. sect. 2. n. 27. Barbof. de Canon. & Dignit. cap. 41. ubi latè de his agit.*

140 Ante mortem Prælati non potest fieri electio successoris, cum adhuc non vacet Ecclesia, C. 2. de *Consec. Præbend.* Imò prius debet tradi sepulturæ corpus Prælati, & post tertium depositionis diem, fiet electorum convocatio ad decernendum circa futuram electionem, C. 7. D. 79. c. 36. b. t. Electio debet fieri in ipsa Ecclesia viduata, C. 28. b. t. nec obstat, si sit interdicta, quia electio consideratur, ut contractus, qui non prohibetur per interdictum; sed non debet fieri de nocte, nisi necessitas urgeat, & tunc debent sufficientia luminaria adhiberi, ne Capitulares videantur male agere, si lucem oderint. Pontifex in C. 41. b. t. statuit, ut ultra tres menses Cathedralis Ecclesia, vel Regularis Prælati non vacet, intra quos (iusto impedimento cessante) si elec-

tio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate carent ea vice: ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proxime præcise dignoscitur devoluta potestas, Deum præ oculis habens non debet ultra tres menses differre cum Consilio sui Capituli, & aliorum virorum prudentum, viduatam Ecclesiam de persona idonea ipsius quidem Ecclesie; vel alterius, si digna non reperitur in illa, Cononice providere, si Canonice velit effugere ultionem. In alijs Prælaturis, Dignitatibus, & beneficijs, que non sunt Prælaturæ Cathedralis, & Regularium non debet differri electio ultra sex menses, C. 2. de *Consec. Præbend.* Hoc tempus trium, vel sex mensium currere incipit à die notitiæ vacationis, si tunc impedimentum non sit; aliàs à die impedimenti remoti, quia legitime impedito non currit tempus, C. 5. de *Consec. Præb.* Eriam si Electores propria culpa contraxissent impedimentum, v. gr. censuram, modo non sint negligentes in petenda absolute. Si electus renuntiet electioni, vel moriatur, aliud trimestre conceditur, C. 26. b. t. in 6. Et idem accidit in secunda, tertia, & ulterioribus electionibus. Hunc quidem terminum non possunt prorogare, possunt tamen illum coardare Electores, cum in favorem eorum introductus sit arg. L. 29. C. de *Passis.*

141 Ad electionem vocandi sunt, non tantum Capitulares præsentis, sed etiam absentes, illi scilicet, qui debent, & volunt, & possunt commode interesse, C. 42. b. t. quia nullus sine justa causa est suo jure privandus. Vocandi ergo sunt, qui habent jus suffragij, nec aliquo impedimento laborant, ut ad electionem accedant, si velint, C. 28. b. t. quia possunt suo juri renuntiare, C. 6. de *Privileg.* non sunt vocandi, si non aliter quam cum ipsorum, vel Ecclesie periculo comparere possunt, C. 28. b. t. vel si propter distantiam, juxta prædicitis viri arbitrium, vel consuetudinem Ecclesie computandam, C. 55. b. t. non possint commode adesse, C. 18. b. t. ita ut etiam intra Provinciam existentes non vocantur, si distantia est magna, & vocantur etiam extra Provinciam existentes, si non est magna distantia, C. 28. c. 36. b. t. si non est vocata, sed contempta plura pars Capitularium, electio est nulla ipso jure ex defectu potestatis, quæ quidem in duabus partibus Capituli residet. Si aliquibus contemptis ceteri convenerint ad elec-

electionem, & hæc est facta à majori parte omnium habentium suffragium, non tantum respectu præsentium, sed etiam respectu absentium, qui de jure vocandi erant, est valida, C. 28. b. t. ibi: *Quod si eos vocatos non fuisse constiterit, sed contemptos, infirmamda erit electio penitus valiter celebrata, nisi postea propter bonum pacis curaverint consentire.* *Conc. in C. 36. b. t. n. 7.* quia factum à majori parte ab omnibus factum intelligitur, L. 19. ff. ad *Municij.* Contemptus tamen habet jus ad agendum de rescissione electionis, quantumvis electus sit confirmatus, vel consecratus, C. 28. b. t. sed cum hoc sit introductum in favorem contempti potest illi renuntiare, L. 29. C. de *Passis*, vel expressè, consentiendo tali electioni, vel tacite, si non impugnet electionem, ante confirmationem, postquam publico edicto monitus fuit, si postea oppugnare vult, repellitur, cum suo juri renuntiasse credatur. Et tunc probabilis, nec Judex ex officio rescindere potest electionem, cum non de jure publico, sed de interesse partis agatur; arg. L. 4. §. 8. ff. de *Danno infecto.*

142 Non omnes absentes possunt procuratorem constituere, qui absentium nomine eligat, cum videatur electa Capitularium industria, permittunt tamen et illis, qui iusto impedimento prohibentur ad electionem accedere, v. gr. si gravi infirmitate, vel simili impedimento arbitrio Judicis detineantur: dum tamen possint, & debeant ad electionem vocari alias non possint procuratorem ad hoc constituere, cum alij plus juris, quam ipsi habent, dare non possint, C. 79. de *Reg. jur. in 6.* Absens potest unum, vel plures procuratores constituere, & quidem in solidum, & non aliter. Eritque melior occupantis conditio; quod si ambo concurrant, erit admittendus, quem major pars Capituli eligat: quod si Capitulares discordent, admittetur, qui prius in litteris procurationis est nominatus, C. 46. b. t. in 6. Procurator debet esse de corpore Capituli, poterit tamen esse extraneus, si Capitulares suo juri renuntiano, illum admittant, debetque jurare in animam sui principalis; quod is impeditus sit nisi remittatur ipsi juramentum, vel impedimentum sit notorium, C. 42. h. t. si in mandato assignetur certa persona eligenda, illam nomine mandantis debet procurator eligere, & suo nomine, si Capitularis sit, poterit alium eligere; secus si simpliciter ipsi eligere mandetur; ita ut in ejus po-

testate sit hunc, vel illum assignare, & eligere: quia tunc, licet habeat suo suffragia, non potest illa dividere: cum impossibile sit judicare, tantum esse digniorem Caso, & Casum digniorem Titio, C. 46. §. *Porro*, b. t. in 6. Et potest alteri electionem subdelegare: non tamen potest compromittere, ne excedat fines mandati: Qui tamen habet mandatum generale, compromittere potest; quia totum jus eligendi in ipsum censetur translatum, non tamen potest subdelegare, quia censetur ejus industria electa *Absentis*, quoque (licet nullus de Collegio velit esse procurator ejusdem, nec ipse, volente Capitulo extraneum valeat deputare, non poterit aliquatenus per litteras exprimere votum suum: quod non est ante scrutinium, sed in ipso scrutinio, secreto, & sigillatim exprimendum, C. 46. §. *fin.* b. t. in 6. si electio fiat per schedulas obfirmatas, que in urnam conjiciuntur, potest absens, vel infirmus ad Capitulum mittere suum iustitiam scriptum.

143 Ad Prælaturas, & beneficia Ecclesiastica non solum eligendus est, qui sit dignus scientia, moribus, & aetate; C. 7. b. t. sed etiam dignior, *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 1.* ibi: *Eos quoque alienis peccatis communicatis mortali ter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesie magis utiles ipsi judicaverint.* Et *Innoc. XI.* declaravit, Concilium non solum requirere dignos absolute, sed digniores respective ad dignos, ut constat ex *prop. 47.* inter damnatas ab ipso. *Indignus* est, cui deest aliqua ex qualitatibus requisitis ad ministerium, ita ut non possit tali muneri satisfacere. *Dignus* est, qui habet qualitates ad ministerium requisitas. *Dignior*, qui consideratis omnibus dotibus corporis, & animi erit Ecclesie utilis. Sic regulariter est præferendus Doctor non Doctori. Sacerdos non Sacerdoti, nobilis ignobili, non indignus dispensatione, ea indigenti, adultus juveni, originarius extraneo, & sic de alijs circumstantijs discurrendum est. Et cum non semper ille, qui est sanctior, & doctior sit dignior, potest non sanctior, & non doctor præferri sanctiori, & doctiori, si hic, & nunc omnibus pensatis circumstantijs, judicetur futurus utilis Ecclesie; *Barbof. de Offic. Paroch. cap. 2. ex n. 109. Lacr. lib. 4. n. 597.* Electio minus digni, si absolute est dignus, valida est, cum nullo jure irritetur, *Lugo de Just. & Jur. D. 35. contra alios.* Et ipse etiam prætermisso digniori, erit confirmandus. Qui factò concursu, postponit digniorem dig-

no, peccat graviter contra iustitiam, cum fiat quasi contractus cum oppositoribus de dando beneficio digniori; ac proinde tenetur digniori restituere, & compensare damna. Electus vero, si nihil iniuste fecit, ne dignior eligatur, non tenetur restituere; *Lugo de Just. & Jur. D. 35. n. 85. & 95. Lacr. lib. 4. n. 588. & 628.*

144. Voce passiva carent, id est, non possunt eligi 1. furiosi, amentes, infantes, pueri, minores 14. annis, quibus nec perfonatus Ecclesie potest concedi: *Quia indecorum est, ut hi debeant Ecclesias regere, qui non novimus gubernare seiplos, C. 3. de Stat. & qual. Pro Episcopatu requiritur 30. annus completus, C. 7. b. t. pro Beneficio Curato 25. inceptus, C. 7. §. 2. b. t. Trid. sess. 7. de Ref. cap. 3.* Aliquando tamen accidit, quod filij magnorum Principum, adhuc teneræ ætatis in Episcopos assumuntur, R. Pontifice dispensante ex gravi causa, magnaque Ecclesie utilitate, *C. 8. v. E. contra, D. 16. constituunt tamen administratores dignos, & ipsi ordines saltem minores suscipiunt. 2. Non possunt eligi illiterati, C. fin. D. 51. si quidem in eligendo requiritur scientia competens, & sufficiens, ut muneris sui necessitati possit satisfacere, C. 17. c. 20. b. t. ideo eligendus in Episcopum debet esse, vel Doctor, vel Licentiatius in Sacra Theologia, vel in Jure Canonico, vel saltem publico alicujus Academia, testimonio idoneo ad alios docendos, *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 2.* An Canonista Theologo sit præferendus, vel è contra acriter disputant, *Simancas de Cathol. instit. cap. 25. ex n. 23. Soto de Just. & Jur. lib. 3. q. 6. art. 2. & quidem Solorz. de Jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 7. ex n. 16.* probat, sapientiam rerum secularium requiri in Episcopo; ex quo infert, Canonistam Theologo, & Clericum secularium Regulari esse præferendos. Episcopum debere scire Sacros Canones, & Scripturam Divinam ait Text. in C. 6. D. 38. *Alterius sit, altera possit opem res, & conjurat amicit, placet tamen, quod dicit Cened. in collect. 51. ad Decret. Scilicet, quod Trid. ad Episcopatus regendos æqualiter juris Pontificij peritos, atque Theologos ipsos eligi posse decrevit.**

145. 3. Nequeunt eligi sequentes, scilicet, illegitime nati, C. 20. b. t. corpore viciati, C. 1. D. 49. Sacrilegi; *arg. cap. 34. h. t. falsarij litterarum Apostolicarum, C. 7. de Crimin. fals. aleatores publici, usurarij manifesti, infames, C. 11. de Exec. Prelat. perjuri, C. 10. de Jur. Jur.*

Sodomiam frequentantes; *arg. Constit. Horrendum, S. Pij V. An. 1568.* Conscientiam in electionem de se à Potestate seculari factam, C. 43. b. t. Ambitiosus, qui consentit in sui electionem, tanquam jam factam ante formatum, & publicatum electionis Decretum; & electio est ipso jure irrita, C. 46. b. t. & *ibid. Gloss.* vel saltem irritanda, qui absque dispensatione plura retinet beneficia, C. 54. b. t. Hæretici, credentes, receptatores; defensores, eorumque fautores; ipsorumque filijulque ad secundam generationem. Hi enim ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum sunt admittendi, quod si secus factum fuerit, erit irritum, & inane, C. 2. §. 2. de Hæret. in 6. c. 15. eod. in 6. ibi: *Primum, & secundum gradum per paternam lineam comprehendere declaramus; per maternam vero ad primam dumtaxat volumus hoc extendi;* quod intelligi, quando Hæretici non fuerint Ecclesie reconciliati, nam si Ecclesie fuerint reincorporati, non est locus huic poenæ schismatici, C. 5. b. t. simoniaci, id est, pro quibus, vel à quibus pretium datum, & acceptum est, ut eligerentur. Et quando completa est simonia, electio est ipso jure irrita, *Extr. 2. de Simon. int. com.* si pretium tantum promissum est, erit irritabilis, C. 27. de Simon. si alij commississent simoniam, ut Cajus, v. g. eligeretur, quamvis ipso ignorante commissa sit, tenetur restituere beneficium cum fructibus, C. 59. b. t. nisi prius ipse restitueret, ne committeretur talis simonia, vel nisi dantes pretium, in fraudem electi hoc fecissent, ut ipsum redderent inhabilem, C. 27. c. 33. de Simon. Simoniacè electus licet ignorans, quando fuit simonia completa non potest eligi ad eandem Prælaturam, donec vitium purgatum sit, quod quidem purgatur, si illa electio simoniaca irritetur, & alius legitime eligatur. Nec Episcopus potest cum eo dispensare, C. 59. b. t. Ad aliam tamen Ecclesiam, vel dignitatem nullo jure prohibetur eligi. Si tamen ipse electus simoniam commisit, debet prius agere de suo crimine poenitentiam, & ab excommunicatione absolvi. Illi qui ob aliquod crimen semel à Prælatura sunt repulsi, non possunt iterum eligi, C. 1. b. t. quia semel malus semper præsumitur malus, C. 8. de Reg. Jur. in 6. ille verò, cujus electio fuit cassata, non vitio personæ, sed formæ; dum non interverit simonia, iterum potest eligi, C. 12. b. t. Et *Gonz. ibid.*

146. Nec possunt eligi ligati excommu-

municatione majori, C. 7. b. t. Imò etiam si tantum sint ligati minori excommunicatione, c. fin. de Cleric. excom. licet possint eligere, C. 39. b. t. quia sunt privati Sacramentorum receptione: ac proinde non possunt eligi ad ea administranda. Similiter suspensi ab officio: quia non possunt eligi ad officium, cujus exercitio privati sunt, c. fin. de Cleric. excom. nec itidem suspensi à beneficio, quia cum privati sint perceptione fructuum beneficij, quod jam possident, non possunt promoveri ad novum beneficium, per quod acquirant jus redditus Ecclesiasticos percipiendi. Personaliter interdictis *arg. c. 8. de Consuet.* nec violatores interdicti, tam personalis, quam Localis. Hi enim sunt privati jure electionis tam activæ, quam passivæ, C. 1. de Postul. Prælat. Et cum *Extrav. Ad evitanda:* non respiciat utilitatem censuratojum, sed solum Ecclesie, & aliorum fidelium, isti censurati, quamvis tolerati sint, eligi nequeunt. Omnes irregulares, sive ex delicto, sive ex defectu, cum sint inhabiles ad officium, inhabiles etiam censentur ad beneficium, quod datur propter officium, c. fin. de Rescript. in 6. De his omnibus late *Barbos. de Offic. & potest. Episc. alleg. 42. Gonzal. in c. 12. b. t. n. 4. & alij.* Pro alijs qualitatibus, quæ debent attendi ad eligendum Episcopum videatur, quod ait *Apost. 1. ad Timot. 3. Et ad Titum. cap. 1. c. fin. D. 51. Et ibid. Interpretes,* præcipue videatur *Barbos. de Offic. & potest. Episc.*

147. Electio indigni, seu prohiberi eligi est ipso jure nulla. 1. Si repellatur quis per impedimentum naturæ, C. 20. b. t. 2. Si indignus sit ob crimen, ob quod incurritur infamia juris: si tamen solum infamia facti incuratur, poterit sic electus retinere in conscientia Dignitatem, si nullus defectum infamiae ipsi objiciat, & speret notam infamiae abolere; quod à fortiori dicendum est de crimine occulto. 3. Ob interdictum, suspensionem, vel excommunicationem majorem, C. 8. de Stat. & qualitat. c. 7. c. fin. de Cleric. excom. De electione simoniaca dictum est supra. Erit irritanda electio, si quis repellatur propter excommunicationem minorem, C. fin. de Cleric. excom. vel propter irregularitatem: quia talis electio solum contra jus prohibens, non vero contra jus irritans erit. Sed cum sit facta de persona, quæ non valet à Superiori confirmari, irritanda erit; *arg. C. 1. de Stat. & qualitat.* licet alij dicant, irritam esse.

148. Eligentes scienter indignum, si subiecuta sit communis electio, privantur beneficijs per triennium, quæ obtinent in illa Ecclesia specialiter officina, C. 7. §. fin. h. t. sed beneficijs, quæ in alijs Ecclesijs obtinent, C. 37. §. *Porro. b. t. in 6.* Nam in quo quis peccat, puniri debet. Et pro ea vice ipso jure privantur jure eligendi, C. 18. b. t. in 6. non vero pro alijs; sicque possunt eligere in secunda, & sequentibus electionibus, C. 25. b. t. & *ibid. Gonz.* quæ privationis poena comprehendit eos, qui Dignitatem, vel Prælaturam indigno conferunt, in ea institunt, vel confirmant; *arg. C. 44. b. t. vel qui eligunt ad Dignitatem, vel Prælaturam Episcopatu inferiori, C. 18. b. t. in 6.* Si vero communis electio non sequatur, non incurritur hæc poena cum poena debeat cum effectu intelligi: imò potest, & debet procedi ad electionem, C. 7. b. t. in 6. Quando omnes Capitulares elegerunt indignum, devolvitur jus eligendi in Cathedralibus ad Papam, in alijs vero Ecclesijs ad proximum superiorem, C. 18. b. t. in 6. Si non omnes indignum elegerunt, ad non delinquentes jus eligendi devolvitur, & valet electio, etiam in eodem scrutinio facta, à non delinquentibus, etiam si minorem partem constituerint, C. 53. b. t. Imò, etiam si unus tantum sit, qui si velit solus poterit eligere: quia in illo remanet jus Collegij, *Gl. in c. 7. h. t. in 6.* quod si velint non delinquentes, possunt suo juri renuntiano, delinquentes admittent ad electionem, *Gl. in c. 25. b. t. v. Admiserat.* Ad hos tamen admittendos, debent omnes consentire, sicut ad admittendam extraneam: quia quod omnes tangit debet ab omnibus approbari, C. 29. de Reg. Jur. in 6.

149. Triplex invenitur forma, seu modus Canonice eligendi, qui iustitice describitur in C. 42. b. t. desumpto ex Conc. Lateran. ubi statuitur: 1. *Ut cum electio fuerit celebranda presentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commode interesse, assumantur tres de Collegio fidedigni, qui secretè, & sigillatim, vota censorum diligentè exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in comitatu: nullo profus appellationis obstaculo interjecto: ut is, collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major, & Junior pars Capituli consentit. 2. Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium, Ecclesie viduate provideant de Pastore aliter electio facta non valeat. 3. Nisi fortè communitè esset ab omnibus, quasi per*

inpirationem abque vitio celebrata. Qui vero contra prescriptas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice potestate priventur. 1. modus dicitur per scrutinium. 2. per compromissum. 3. per inspirationem. Tractatus de quo in C. 21. & 30. b. t. non est omnino necessarius.

150 Electio frequentissime fit per *Scrutinium*. Scrutatores de iure communi debent esse de Collegio, & a Collegio Collegialiter electi: post Collecta ergo a scrutatoribus suffragia, secundum ordinem, & modum legitimum uniuersalemque Capituli Ecclesiastici, incontinenti, nullo alio actu alieno interposito, est facienda publicatio suffragiorum. Publicatione jam facta, non possunt Electores variare, vel mutare suffragium, cum jam suo officio sint functi: Et possunt per superiorem ad collationem, si reuuant compelli, C. 58. b. t. nisi forte nova electio: v. g. quia nullus ex electis habuit maiorem partem Capituli, vel quia electus renuntiavit, vel quia erat indignus. Nam tunc cum nulli sit jus quantum, nulli sit injuria: ac proinde permittitur variatio. Ante publicationem scrutini liberè possunt Electores variare, & alios eligere, *Barbof. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 19. n. 217.* post scrutini publicationem statim nullo alio actu interposito; procedunt Electores ad collationem suffragiorum, C. 42. b. t. ut videatur, quis est electus à *majori*, & *saniori* parte Capituli: Nam hæc duo copulative requiruntur, nec sufficit, in quo electio fiat à *majori* parte, si non fiat à *saniori*, nec è contra, C. 42. c. 55. c. 57. b. t. Hæc collatio fit. 1. meriti ad meritum, comparando inter se scientiam, prudentiam, & alias qualitates eligendorum, ut appareat, quis sit magis idoneus, magisque dignus. 2. zeli ad zelum, considerando eligentium prudentiam, probitatem, intentionem, & motiua, ut appareat, quis sit à *saniori* parte Capituli electus. 3. numeri ad numerum, ut appareat, quis sit electus à *majori* parte. Et hæc tantum collatio numeri ad numerum attenditur in electione S. Pontificis, C. 6. b. t. *Abbatifarium*, C. 43. b. t. in 6. *Regularium*; *arg. Cl. 1. in fin. de Verb. signifi.* & quoties duæ partes Capitularium in unum consentiunt, C. 9. b. t. in 6. Hodie in electionibus solum *major pars* inspicitur; tum, quia sanior præsumitur, tum ad tollenda scandala, & vitandas discordias, quæ oriuntur ex tali collatione zeli ad zelum: tum denique, quia cum electio regulariter fiat

per vota secreta solum numerus potest attendi; *arg. Triu. Jess. 25. de Regul. cap. 6. Barbof. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 19. n. 222. Gonzal. in c. 42. b. t. n. 7. Et in cap. 57. eod. n. 7. & alij.*

151 Tunc autem, quis censetur electus à *majori* parte, quando in eo consentiunt plura suffragia, non tantum respectiue ad alios, qui pauciora habeant; sed absolute respectu totius Capituli, C. 48. b. t. v. g. si Electores sunt 40. ut quis sit Canonice electus debet habere 21. suffragia pura, aboluta, & certa. Incerta enim, conditionata, & alternativa non computantur: ac proinde si quatuor suffragia sint dubia, conditionata, vel incerta, iis insuper habitis, consideratur Capitulum conitare 36. suffragijs, quorum, qui habuerit 19. erit Canonice electus à *majori* parte Capituli, C. 2. b. t. in 6. si duo æqualem numerum habeant, vel nullus sit à *majori*, & *saniori* parte Capituli electus propter suffragiorum dispersionem, illo casu, proceditur ad aliud scrutinium, quouique in unum conueniat pluraque medietas vororum totius Capituli, etiam si solum in dimidio suffragio excederetur, v. g. si Capitulum 41. suffragijs conitaret, ille, qui pro se 21. haberet, esset Canonice electus, quod si duo æqualia omnino suffragia habeant, tunc ille præferatur alteri, qui in aliqua præualet qualitate, v. g. qui est Doctor, vel *major ætate* pro quo sunt conuolenda particularia statuta, & praxis Ecclesiarum.

152 Post prædictam Collationem, incontinenti est formandum, & promulgandum solemniter Decretum electionis communis, C. 42. c. 46. b. t. Is enim, cui ex officio incumbit, querit à Capitularibus: *An placeat, electum publicari?* quod si respondeant: *placet*, statim nomine omnium publicandus est electus iuxta receptam solemnitatem, & consuetudinem uniuersalemque Capituli, C. 21. b. t. in 6. Quod si contra prædictam formam fiat electio, vel ordo immutetur, vel unum non sequatur alterum in continenti, electio ex defectu formæ erit irrita, saltem in foro externo, C. 42. b. t. ibi: *Aliter electio facta non valet*; sed iuxta aliquos, si nullus electionem factam, contra dictam formam, impugnet, ea subsistet, nec electus tenetur resignare Prælaturam, vel Dignitatem ante sententiam: nec Electores ante sententiam priuantur pro ea vice eligendi; *arg. C. 28. b. t. videantur latius de hoc agentes; Barbof. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 19. n. 162. Gonz. in c. 36. b. t. n. 7. & in c. 42. b. t. n. 8.*

153 Secundus modus eligendi est per *compromissum*, quando scilicet, omnes Capitulares, nemine expresse contradicente, committunt facultatem eligendi aliquibus viris idoneis, licet non debent necessario esse de Capitulo, debent tamen esse Clerici: quod si unus ex Capitularibus contradicat, non valet compromissum, ut deducitur ex C. 30. b. t. ibi: *In quos totum Capitulum eligendi transulerat potestatem. Nam quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari*, C. 29. de Reg. jur. in 6. Et quidem potest compromitti in unum; *arg. C. 8. b. t. vel in plures. Et licet expediat ad tollendas discordias, compromissarios, esse numero impares, pares tamen esse possunt*, C. 52. b. t. *Compromissarii ergo debent seruire limites mandati*, L. 5. ff. *Mandat.* eligendo, vel ex Capitulo, vel extraneum, vel aliorum adhibito Consilio, C. 52. b. t. Et licet tunc teneantur exquirere aliorum Consilium, non tamen obligantur illud sequi, C. 62. de Reg. jur. in 6. Et ille, in quem major pars compromissariorum conueniat, erit electus, C. 32. b. t. vel postulatus, C. 30. b. t. Nam cum postulatio sit electioni accessoria sub illa comprehenditur, C. 42. de Reg. jur. in 6. nisi expresse in compromisso excludatur facultas postulandi. Si alicui eligendi potestas data fuerit sub hæc forma: ut ipse secretò, & sigillatim, votis singulorum de Capitulo exquisitis, & in scriptis redactis, illum eligat in quem plures de Capitulo, partium comparatione minorum, conseruerint, licet consentientes maiorem partem totius Capituli non attingant, ipseque iuxta traditam sibi formam eligat eum in quem non *major pars*, sed plures de dicto Capitulo, quam in quemquam alium direxerant sua vota electio est nulla, utpote facta præter formas à Concilio præscriptas, C. 23. b. t. in 6. quando plures sunt compromissarii possunt ipsi unum ex compromissariis eligere: quia nulli suum officium debet esse damnosum, imò si duo sint, & Tirus v. g. eligatur à Cajo suo collega, potest Tirus in sui electionem consentiendo, illam complere, C. 33. b. t. & ibid. *Gonz.* imò aliqui dicunt, quod cum mortuo Clem. V. Electores committerent electionem per compromissum in Cardinalem Jacobum de Ossa, ille dixit, *Ego sum Papa*, fuitque coronatus sub nomine Joannis XXII. ut assert: *Moreri in Diction. Histor.* sed alij hoc negant, tenentes, quod compromissarius, quando est unicus non potest seipsum eligere; *arg. c. fin. de Inffit. c. 26. de iur. Tom. 1.*

Patron. Electus à compromissariis debet publicari, sicut in scrutinio, C. 21. b. t. in 6. quia talis electio est actus totius Capituli, & fit nomine omnium.

154 Compromittentes debent admittere electum à compromissariis, si hi elegerunt idoneum, & formam compromissi obseruauerunt; C. 8. c. 52. b. t. quia jam per alium, scilicet, compromissarium, functi sunt officio suo. Si verò indignum elegerunt; vel etiam idoneum, sed contra formam præscriptam in compromisso, possunt compromittentes alium de novo eligere. Si intra tempus à iure præfixum non eligunt compromissarii, devolvitur facultas eligendi ad superiorem, non ad Capitulares; his enim, quamvis non comisio, omisio tamen, vel negligentia compromissariorum nocet, C. 37. b. t. in 6. Si tempus fuit à compromittentibus præfixum, ad ipsos facultas eligendi reddit, debent tamen computare illud, intra quod debuerunt compromissarii eligere. Si compromissarii eligat indignum siue scienter, siue ignoranter, ad Capitulares devolvitur facultas. Idem est, si idoneum eligat: sed hic vel non acceptet, vel renuntiet, vel moriatur; quia cum pro una vice tantum sit concessa facultas eligendi: hæc expirat, cum compromissarius semel eligendo, suo officio functus est. Si scienter eligat indignum, ipse solus ab Ecclesiasticis beneficiis est suspensus per triennium, quæ suspensionis poena solum extenditur ad beneficia quæ habet suspensus in Ecclesia offensus, nec comprehendit compromissarium, si forte sit Episcopus: nec extenditur ad Prælaturas, & beneficia inferiora Episcopatu, si forte ad ipsa conferenda fiat compromissum, C. 7. §. fin. b. t. c. 37. eod. in 6. Hinc deducitur quod compromissum finitur, si electio, vel postulatio fuit sine effectu: quia pro una vice tantum est concessa facultas, ita functi sunt eligendo, quamvis sine effectu, quia electus v. g. renuntiet, vel moriatur. Similiter finitur compromissum, si conditio compromisso adjecta deficiat, vel tempus compromissariis assignatum sit elapsum, C. 52. b. t. vel si compromissum reuocetur à *majori* parte compromittentium, re adhuc integra, id est, antequam ad substantialia electionis sit processum; *arg. à contr. c. 30. b. t. sicut quodlibet mandatum reuocatur*, §. 9. *Inffit. de Mandat.*

155 Electio quasi per inspirationem fit, quando, nullo præcedente tractatu, Electores in loco solito congregati omnes

unanimiter in unum consentiunt, C. 42. b. 1. Aliquando vero fit per veram inspirationem, ut accidit in electione S. Matthei *Act. Apost. c. 13. v. 24. & 26.* Et sic debet intelligi, quod dicitur in C. 8. v. E contra, D. 61. ibi: *Beatus Nicolaus ex Laico electus est in Episcopum, Beatus Severus ex laicis assumptus est in Archiepiscopum. B. Ambrosius, cum nondum esset baptizatus in Archiepiscopum est electus.* Hucusque de electione dicta luculentè comprobantur à N. Rege *Alphonso in L. 17. tit. 5. p. 1.* ibi: *Eleccion en Latin, tanto quier decir en Romance, como escogimiento, è por ende manda Santa Iglesia, que los Perlados sean escogidos con gran femencia, como aquellos que han de tener logar de los Apostoles en la tierra. E la manera de como los deben escoger, es esta. Que quando vacare alguna Iglesia, que quiere tanto decir, como fincar sin Perlado; que el Dean, è los Canonigos, que en ella se acertassen, deben ayuntarse, è llamar à los otros sus compañeros, que fueren en la Provincia, è en el Reyno, segun que fuere costumbre de aquella Iglesia, que vengan al dia que les señalaren à hacer la eleccion. E el tiempo en que la deben hacer, es desde el dia que finire el Perlado, fasta tres meses al mas tardar. E si en este tiempo non la ficiessen, pierden ellos el poder aquella vez: è ganalo el Perlado mayor, que es mas cercano, à quien son tenudos de obedecer por Derecho. E el dia que ovieren de entrar para hacer la eleccion, deben antes cantar Missa de Sancti Spiritus, que Dios los enderesce à fazer lo mejor. E deben despues entrar en su Cabildo, è hacer su eleccion en una de estas tres maneras: à la primera dellas llaman Scrutinio: à la segunda Compromisso: à la tercera Spiritu Santo.*

156. Electio, quæ vi, vel metu gravi extorquetur, cum hoc redudat imperniciem, & gravamen Ecclesiasticæ libertatis est nulla, C. 14. b. 1. v. g. si Electores arcentur, vel ad personam determinatam, vel ad certum genus personarum, alijs exclusis, *Barbof. de Jur. Ecclef. lib. 1. c. 19. n. 232.* Sed in hoc secundo casu non est ipso jure irrita: quia absolute non est omnino ablata libertas Electoribus; debet tamen irritari, quia non est omnino libera electio, cum certum genus personarum; v. g. Hispanorum excludatur. Qui per se, vel per alios injustè persequuntur, & gravant Electores Ecclesiasticos, incurrunt ipsos factò excommunicationem, C. 12. b. 1. in 6. quæ etiam ad eos, qui hoc faciunt, de mandato alterius, etiam extenditur; *arg. C. 42. de*

Sentent. excom. Consentientis electioni de se factæ per abutim potestatis Secularis, effectio ineligibilis ad Dignitatem, & electio est nulla. Potest tamen eligi ad canonicam, Parochiam, & alia beneficia, cum Lex poenalis non debeat extendi. Eligentes verò potestate eligendi pro ea vice privantur, & à beneficijs per triennium suspenduntur, C. 43. b. 1. per sententiam tamen Judicis, ut notat *Glossa.* Tunc fit electio per abutim Potestatis Secularis, si Laicus electioni se immisceat, vel ipsi ad eligendum interfit, C. 28. v. *Verum*, D. 63. vel quando ipsi eligentes consensum Principis Secularis ante electionem exquirunt; sicut si post electionem, C. 14. b. 1. Laicus tamen potest in electione intervenire pro bono pacis ad sopiendas discordias, & ita aliquando in nostra Hispania fit ex ordinatione Regia, quæ invenitur post *Tit. 6. lib. 1. R. Cast. n. 16. in Remif. ejusdem tit. & lib. 12. Editionis*, ann. 1745. idem est in *Indijs* de quo *Solorz. Polit. Indiar. lib. 4. cap. 26.* Si eligentes, vel electi non sponte, sed coacte celebraverunt electionem per abutim Potestatis Secularis, vel in eam consenserunt hoc modo: non incurrunt prædictas poenas, nam tunc non presuntur talem electionem per talem abutim celebrare, ut dicitur in C. 43. b. 1.

157. Electores debent electionem, quam citius commode possint intimare electo, & ejus consensum exquirere, C. 6. b. 1. in 6. quod si intra octo dies eam presentare culpabiliter differant: cadunt ipso jure à prosecutione electionis, quoad suas personas, & suspenduntur per triennium à beneficijs, quæ in illa Ecclesia obtinent, & si in illa se ingerant, eis ipso jure privantur, C. 16. §. *Ceterum b. 1. in 6.* Per electionem etiam acceptatam solum acquirit electus jus ad rem, C. 16. de *Accusat. contra aliquos*, quo jure non potest privari, nec ab Electoribus, nec à confirmante, nisi hic sit R. Pontifex: potest tamen ipse electus acceptare, vel recusare electionem: quia *beneficium invito non datur*, L. 69. ff. de *Reg. jur.* etiam post acceptatam renuntiare ei potest sine superioris consensu, *Barbof. de Jur. Ecclef. lib. 1. cap. 19. n. 240.* imò postquam eam recusavit, potest, mutando voluntatem, acceptare intra mensem, si Electores alium non elegerunt. Si electus renuntiat, electio devolvitur ad primos Electores, C. 26. b. 1. in 6. Electus tamen consentire in electionem tenetur, si à Superiori per obedientiam cogatur, C. 8. c. 8. g. 1. *arg. C. 10. de Renuntiat.* vel si communitati, vel Mo-

nasterio dispendium magnum sequatur, si ipse non acceptet; *arg. C. 9. 8. q. 1.* vel quando hoc est necessarium ad Ecclesiæ utilitatem, *Barbof. de Jur. Ecclef. lib. 1. cap. 19. n. 245.* Si electus, intra mensem, id est, dies facientes unum mensem, à die præsentate electionis, culpabiliter differat acceptare, amittit jus per illam quæsitum, nisi forsitan ea sit electæ personæ conditio, ut electioni de se celebratæ absque Superioris sui licentia ex prohibitione, seu quavis provisione Sedis Apostolicæ consentire non possit. Et post consensum præstitum, intra trimestre debet electus per se, vel per procuratorem confirmationem petere: a ias electio ipso jure evanescit, C. 6. b. 1. in 6. nisi justum impedimentum obstitit, C. 2. D. 75.

158. Hodie ex C. 16. b. 1. in 6. electi ad Cathedrales, & Regulares Ecclesias, quæ sunt immediatè Sedi Apostolicæ subjæctæ debent intra mensem à die consensu præstiti iter arripere, vel personas idoneas mittere ad R. Pontificem pro impetranda confirmatione. Pro casu, quo alius sit coelectus, vel detur contradictor, in C. fin. b. 1. in 6. sic statuitur, *vocationem autem hujusmodi nominatum, ubi est Coelectus, vel apparet oppositor, alijs generalitèr in Ecclesia, in qua electio facta est, ut si qui sint, qui se velint opponere, compareant, assignato peremptorio termino competentis, faciendam esse censentis; que etiam si electio in concordatâ celebrata fuerit, volumus observari.*

159. Superior, cui jus competit confirmandi, repellit electum indignum, aliàs privatur potestate confirmandi proxime sequentem: idoneum verò, quàm primo confirmabit, C. 44. b. 1. C. 3. eod. & *ibid. Gonzal.* Et licet nullum tempus à jure sit assignatum ad confirmandum, potest à Superiori intra certum tempus, quod confirmatori assignavit illum ad confirmandum cogere, *Barbof. de Jur. Ecclef. lib. 1. cap. 19. n. 254.* Qui immediatè à S. Pontifice creantur Episcopi, per ipsam collationem Episcopatus eliguntur, insuntur, & confirmantur. Confirmatio olim erat petenda ab immediato superiori, C. fin. D. 64. c. 32. b. 1. in nostra Hispania olim Archiepiscopus Toletanus habebat potestatem confirmandi, & ordinandi in quibuslibet Provincijs Episcopos, quos Rex præsentabat, ita tamen, ut quicumque erat ordinatus, intra tres menses post suam ordinationem proprio Archiepiscopo se præsentaret, C. 25. D. 36. Sed hodie,

sicut in alijs locis est reservata à R. Pontifici provisio omnium Ecclesiarum Cathedralium, sic ubi electio adhuc fit per suffragia Capitularium, ipsæ reservata electionis confirmatio, *Barbof. de Jur. Ecclef. lib. 1. cap. 9. n. 9.* licet Pontifex confirmando electionem, non possit supplere defectum juris naturalis, vel Divini, potest tamen defectum juris Positivi supplere: sed regularitèr illum non sanat: quia confirmatio sequitur electionis naturam; C. 4. de *Confirm. util.* nisi in confirmatione exprimat, vel addatur clausula ex certa scientia, vel de plenitudine potestatis, C. 1. c. 2. de *Confirm. util.*

160. Confirmatio dat confirmato jus in re in Prelatura; per eam fit ratum matrimonium spirituale inter confirmatum, & Ecclesiam, C. fin. de *Translat. Episcop.* confirmatus potest vocari Episcopus electus, & non comprehenditur in generali statuto, vel sententia juxta privilegium, *Text. in c. 4. de Sent. excom. in 6.* si in hæresim incidat, non potest ab Inquisitoribus puniri, sed tantum à Papa, cui reservatur ejus cognitio: Nec potest jam Ecclesiæ renuntiare, ad quam est electus, & confirmatus sine Superioris licentia, C. 2. de *Translat. Episc.* quod si cedat, vel decedat, per ipsum vacat Prelatura. Ipse etiam acquirit plenam Ecclesiæ administrationem exceptis ijs, quæ majoris inquisitionis discussionem exigunt, & Ministerium consecrationis desiderant, C. 15. b. 1. *Gonz. in c. 3. b. 1. n. 8.* ac proinde potest excommunicare, suspendere, interdicare, visitare, corrigere, punire, Synodum convocare; beneficia conferre, Ecclesias minores conjugere, & annectere, vel dividere; vota, & juramenta dispensare; aliqua peccata sibi reservare, indulgentias concedere, & alia hujusmodi de quibus in suis locis, *Suar. de Censur. D. 41. ff. 2. n. 7. Sanchez. de Matr. lib. 8. D. 2. n. 11. Barbof. de Jur. Ecclef. lib. 1. cap. 9. n. 23.* Et licet per se non possit ea, quæ sunt ordinis exercere, potest ea alij Episcopo consecrato delegare, siquidem delegare est actus jurisdictionis, non ordinis, C. 11. b. 1. & *ibid. Gonz.* Episcopus tamen confirmatus debet ostendere Capitulo litteras Apostolicas de sua electione, & confirmatione testantes, nec aliter potest Ecclesiam administrare, nec ab ipsa debet recipi, tanquam Praelatus sub poenis de quibus in *Extr. 1. b. 1. int. com. ubi nullum* declaratur, quod aliter factum fuerit, & capitula, quæ eos receperint, vel obedi-

diant à perceptione suorum beneficiorum suspenduntur, donec Sedis Apollitice gratiam obtineant.

161. Hinc Episcopus electus ante confirmationem non potest beneficia conferre, nec aliter Ecclesiam administrare, C. 9. b. t. imò Greg. X. in c. 5. b. t. in 6. statuit: Ut nullus de cetero administrationem Dignitatis, ad quam electus est, priusquam celebrata de ipso electio confirmetur, sub eonomatus, vel procuratoris nomine, aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus, vel temporalibus per se, vel per alium, pro parte, vel in totum gerere, vel recipere, aut illis se immiscere presumat: omnes illos, qui secus fecerint, iure, si quod eis per electionem quæsitus fuerit, decernentes eo ipso privatos: ut sic avaritiam, & ambitioni plurimum occurratur. Ita tamen, quod interim (ait Text. in C. 44. in fin. b. t.) valde remoti, videlicet ultra Italiam constituti, si electi fuerint in concordia (id est Canonice per maiorem, & saniorum partem Capituli, & nullus adit contradicitor, nec coelectus) dispensatio propter necessitates Ecclesiarum, & utilitates, in spiritualibus, & temporalibus administrarent, sic tamen, ut de Rebus Ecclesiasticis nihil penitus alienent. Hac ergo dispositio non debet extendi ad familia, quia est dispensatio, ut notat Gloss. ibid. nec in Hispania habet locum, quia non datur electio, de qua loquitur dictus textus. Hodie tamen non aliter quam post confirmationem possunt Episcopi administrare, litteris Apolliticis, ut supra diximus, presentatis. Imò & Episcopus consecratus non aliter admittitur, Villaroel de Regim. Eccles. p. 1. q. 1. art. 10. ubi late de hoc agit. In nostra Hispania, & in his Indiarum Provinciis insuper requiritur, quod noster Rex mittat litteras, quæ executoriales dicuntur, quæ de litterarum Apolliticarum in supremo Indiarum Consilio cognitione, seu inspectione attestantur, & jubent, quod executioni mandentur ipsæ litteræ Apollitice; sed in his Regnis aliquid speciale invenitur. Nam presentatus, vel nominatus à Rege ad aliquem Episcopatum in his Provinciis, ante Pontificis confirmationem administrat, & gubernat suam Ecclesiam, & Diocesim: quia à Rege expediuntur litteræ commendatitiæ Hispaniæ, ruego, y encargo ad Capitulum Sedevacante, ut talem presentatum ad gubernationem Ecclesie admittat in spiritualibus, & temporalibus; sed tunc gubernat, non iure proprio, sed ex delega-

tionem Capituli, quia solum Capitulum, non vero Rex potest ei jurisdictionem spirituales communicare, quod clare constat ex ordinatione Regia, quæ invenitur post Tit. 6. lib. 1. R. Ind. §. 1. ibi: Su Magestad, en virtud del Patronazgo, está en posesion de que se despahe su Cedula Real, airigida à las Iglesias Cathedralres sedevacantes, para que entretanto que llegan las Bulas de su Santidad, y los Presentados à las Prelacias, son consagrados, les den poder para gobernar los Arzobispados y Obispados de las Indias, y así se executó. Solorz. de Jur. Ind. tom. 2. lib. 3. cap. 4. ex n. 35. Villaroel de Regim. Eccles. p. 1. q. 1. art. 10. n. 19. Sed postea litteris Apolliticis, & executorialibus acceptis, iam proprio iure Episcopi gubernant suas Ecclesias, quas antea nomine alieno gubernarunt, in Diocesibus non habentibus Capitulum, ut accidit in his Indulis, cum calus irregularis sit, nova providentia data est, & constat ex schedula Regia, 2. Aug. 1736. ad Archiepiscopum Manilanum directa, ibi: Ha parecido preveniros, como lo bago, que los Sugetos, que to presentare para las Iglesias de estas Islas, à quienes se les despa haren las Cedula para gobernar las, confiendo de ellas, y de su acceptacion, no necesitan para entrar à gobernar legitima, y canonicamente sus Iglesias por sus personas, ò las de sus Vicarios Generales, tanto en lo temporal, como en lo espiritual (à excepcion de lo de Orden) de que los Obispos inmediatos, que en virtud del mencionado Breve (de Innoc. XI. de 24. de Abril de 1679.) estuvieren gobernando en la vacante estas Iglesias, les subdeleguen jurisdiccion alguna, para gobernarlas, por suponerseles transferida toda la que necesitan con el mismo de la presentacion, y acceptacion por la autoridad de su Santidad, y de la mia, que unidamente concurren en este consentimiento, con atencion à la necesidad de las Iglesias, y distancia de la Corte Romana.

162. Post confirmationem sequitur consecratio, quæ non procedente confirmatione, non valet, Gl. in C. 44. b. t. in 6. nec sic consecratus potest ordinem collatum exercere. Imò etiam Episcopus electus, vel presentatus habet: fiat Pontificis non potest consecrari, quia ad consecrationem obtinendam debet presentare mandatum Apolliticum, & hoc debet ante consecrationem legi, ut constat ex Pontificali Romano. Si vero talis consecratur, etiam non presentato mandato valida erit consecratio. Si tamen Bulla

Bulla fuerint expedita à R. Pontifice; sed vel naufragio amissa, vel ex malitia ablatæ fuerint, poterit per testes probari fuisse expeditas, & vi hujus probationis fieri valet consecratio, Villaroel de Regim. Eccles. p. 1. q. 1. art. 10. ex n. 88. Gonz. in C. 9. b. t. n. 8. Sed hoc meo videri non est admittendum. 1. non in Europa, quia facilis est recursus ad R. Curiam: Deinde neque in his Provinciis: tum quia jam satis cautum est, ut his contingentis occurratur, cum varia exemplaria authentica extrahantur; tum quia ob nimiam distantiam cautius est procedendum, ut obviatur fraudibus. Nam ubi periculum majus intenditur, ibi preculdubio est plenus consulendum. Ut dicitur in C. 3. b. t. in 6. in Trid. sess. 23. de Ref. cap. 2. statuitur, ut Ecclesie, Cathedralibus, seu superioribus, quocumque nomine ac Titulo prefecti, etiam si Sanctæ R. Ecclesie Cardinales sint, si munus consecrationis intrâ tres menses non susceperint ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur. Si intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesie ipso iure sint privati. Consecratio vero, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in Provincia, si commodè fieri poterit celebratur. Et quidem olim Metropolitanis consecrabantur à Primatibus, vel ab alijs Metropolitanis in Concilio Provinciali. Episcopi à Metropolitanis consecrabantur, vel de illorum consensu, C. 2. D. 65. C. 1. D. 66. Gonzal. in c. 7. de Temp. Ordin. ex n. 4. Hodie tamen post reservationem Episcopatum, quoad collationem, vel confirmationem ad Romanam Sedem, etiam censuræ reservata consecratio; ac proinde sine speciali Pontificis mandato non possunt Episcopi consecrari, Gonz. in C. 7. de Temp. Ordin. in 6. Bulla tamen, quæ pro consecrandis Episcopis præcipiunt in his Indiis. Provinciis expediuntur, habent hanc clausulam: Ut à quocumque maluerint Catholico Antifite, S. Romane Ecclesie Communionem habente, consecrari possint. Solorz. Villaroel, & alij.

163. Non solum in sua Cathedrali, sed etiam in quacumque Ecclesia, etiam extra Provinciam, vel Diocesim, potest Episcopus consecrari, C. fin. D. 51. Trid. sess. 23. de Ref. cap. 2. Et licet in Bulla sit aliqua Ecclesia designata, potest ex justa causa alibi fieri, Solorz. de Jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 6. n. 33. Ex antiquissima traditione desumpta ex Apollitorum doctrina debet fieri consecratio die Do-

minica, hora tertia, quæ nostræ nona correspondet, Hispaniæ à las 9. de la mañana, C. 1. C. 5. D. 75. inter Millarum solemniam, inter Epistolam, & Evangelium. Et quidem consecrandis conclebrat consecranti, & principaliter celebrantis sed tunc non potest Ordines celebrare: quia solus R. Pontifex (qui ante hymnum angelicum consecratur, & postmodum ipse Missarum solemniam incipit, & perficit consecratur) in die consecrationis sua valet Ordines celebrare, C. 28. §. 1. b. t. De quibus late Sanchez lib. 7. Consil. cap. 1. Dub. 15. Et quamvis habeatur in C. 2. D. 66. quod Hierosolymitarum primus Archiepiscopus B. Jacobus, qui iustus dicebatur, & secundum carnem, Domini nuncupatus est frater, à Petro, Jacobo, & Joanne Apostolis est ordinatus, successoresque, videlicet, suis dantibus formam, ut non minus, quam à tribus Episcopis, reliquisque assensum præbentibus, nullatenus consecrationis intrâ tres menses non susceperint ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur, dicendum tamen est, quod S. Jacobus jam erat ordinatus Episcopus à Chirillo D. & tunc solum illius Episcopatus administrationem accepit. Et quamvis ibi fuisset præscripta forma pro Episcoporum consecratione, non Jus Divinum, ut patet, sed solum humanum fuit constitutum in quo certè potest R. Pontifex dispensare, C. 4. de Consec. Prælat. Et defacto Pius IV. pro his Indiarum Provinciis dispensavit, ut consecratio Episcopi possit ab uno Episcopo fieri; qui in defectum aliorum duas Dignitates, vel Canonicos mirratos sibi in Socios assumet, Villaroel de Reg. Eccles. p. 1. q. 1. art. 9. n. 30. ubi asserit. Bull. Iij IV. datam 11. Augusti. An. 1562. quod confirmatur. Nam in Can. 1. Apoll. Episcopus à duobus, vel tribus Episcopis ordinari jubetur: & per consequens non est de essentia consecrationis, quod tres Episcopi inter sint; arg. C. 4. de Rescript. Nam disjunctiva per unam partem sufficienter verificatur. Et quamvis tres adfint, unus tantum est consecrator, alij vero duo assistentes, ac proinde jam abs dubio contra aliquos tenendum est, consecrationem à paucioribus, quam tribus Episcopis factam, validam esse.

164. Alia de quibus in Sacris Canonibus fit mentio pertinent ad ritus, & solemnitatem. Episcopus cum ordinatur (ait Text. in C. 7. D. 23.) duo Episcopi ponant, & teneant Evangeliorum Cædicem super caput, & cervicem ejus, & uno super eum fundendo benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus

tangam. Debet consecrator ca put, & manus consecrandi Sacro Chrismate inungere. Chrisma conficitur ex o. eo, & balsamo; per oleum nitor concier. tia deligitatur, per balsamum odor bene famatur. Caput ungitur, ut Episcopus diligat Deum ex toto corde suo, & proximum, sicut se ipsum: manus inunguntur, ut operetur bonum ad omnes, maxime ad domesticos fidei, C. un. de Sacr. Unction. Episcopi, & Archiepiscopi iuramentum fidelitatis, & obedientie R. Pontifici prestant, C. 4. b. t. juxta formam prescriptam in C. Ego, 4. de Jur. Jur. & faciunt professionem fidei, Trid. sess. 24. de Ref. cap. 1. priusquam regimen, & possessionem Episcopatus apprehendant. Et cum valde probabile sit, precipue hodie, tale iuramentum non posse per procuratorem fieri, R. Pontifex volens parcere laboribus, & expensis Episcoporum precipue in Indijs, committit, vel generaliter, vel specialiter hujus iuramenti, & professionis receptionem. Si Episcopus specialiter delegatus mortuus, vel valde distans sit, potest fieri iuramentum, & professio coram quolibet alio superstitite, vel viciniore, valide, & licite: non vero coram Capitulo, Sedevacante, Solorz. de Jur. Indiar. tom. 1. lib. 3. cap. 6. ex n. 25. Gonzal. in C. 4. b. t. n. 27. Episcopi Hispani antequam administrationem suscipiant, prestant iuramentum nostris Regibus de eorum iuribus, & redditibus non invadendis, L. 13. tit. 3. lib. 1. R. Cass. Et in Indijs jurant de Regio Patronatu non usurpando, L. 1. tit. 7. lib. 1. R. Ind. Solorz. de Jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 6. n. 47. Villaroel de Regim. Eccles. p. 2. q. 19. art. 1. ex n. 16. Gonz. in C. 9. b. t. & alij. Denique debent omnia fieri, que ex Pontificali constant formaque talis est: *Accipe Spiritum Sanctum. Propitiare Domine supplicationibus nostris, & inclinato super hunc famulum tuum cornu gratia Sacerdotalis benedictionis tue in eum effunde virtutem. Per Dom. &c.* Postea dicitur: *Ungatur, & consecratur caput tuum celesti benedictione in ordine Pontificali, in nomine Patris, &c. In nomine Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti facientes Imaginem Sancta Crucis Salvatoris Nostri Jesu-Christi, qui nos a morte redemit, & ad regna Caelorum perduxit, exaudi nos pie Pater omnipotens aeterno Deus, & presta, ut quod te rogamus, exoptemus, per eundem, &c.*

165 Per consecrationem consummatur spirituale conjugium inter Episcopum, & ejus Ecclesiam, C. fin. de Transl.

Episcop. plenitudinem officij Episcopalis consequitur, tam ad ea, que sunt jurisdictionis, quam que sunt ordinis executionis, C. 15. b. t. nisi sit Archiepiscopus, qui per pallium consequitur plenitudinem potestatis, C. 3. de Ausor. & Usu palij. Et post adeptam Episcopatus administrationem, vacant ipso jure omnia ejus beneficia, etiam simplicia, & pensiones, C. 7. §. Cum vero, b. t. C. 23. de Prabend. in 6. Gonzal. in C. 7. §. 1. b. t. Titulares vero Episcopi Hispanie de Anitio. Cum non habeant possessionem suarum Ecclesiarum, utpote quod sunt in partibus infidelium, possunt retinere beneficiapossessa, & alia, si compatibilia sine obtinere, Barbos. de Offic. Episc. alleg. 57. ex n. 74. In nostra Hispania receptum est ex antiquissima consuetudine, ut presentatus a nostris Catholicis Regibus ad aliam quem Episcopatum renuntiat beneficiis antea habita in favore personarum designatarum a Rege, ipsique, & non alij tenentur Pontifex beneficia renuntiantia conferre: que Hispanie: resulas dicuntur, & constat ex ordinatione Regia, que invenitur post Tit. 6. lib. 1. R. C. Barbos. vot. 28. n. 6. Gonz. in C. 7. §. 1. b. t. n. 3. Denique hodierna Hispanie praxis pro Episcopatus conferendis, hanc est. Quando moritur Episcopus, Capitulum Ecclesie vacantis moriem Episcopi per litteras Regi denuntiat. Consiliarij Regij proponunt Regi tres viros benemeritos, & dignos, ut presentent quem malit Ecclesie vacantis, & regulariter unum ex ipsis propositis eligit Rex, potest tamen, etiam non propositum eligere. Et sic ob merita electum presentat Pontifici, exposito presentari consensu: quod si hic acceptat, petita R. Pontifice confirmationem. Pontifex inquirat de vita, & moribus presentatis, & de Ecclesie statu, ipse presentatus facit fidei professionem, posteaque in Consistorio fit prima preconizatio, que vim habet electionis: postea secunda preconizatio fit, que habet vim confirmationis: sic confirmatus statim ac notitiam suarum confirmationis habet, curabit ampliam sibi coronam in capite formari, & Episcopibus vestibus talaribus, coloris violacei se induet, cum mantelletto lanceo ejusdem coloris, virreto vero nigro, vel pileo nigro lanceo cum chordulis viridis coloris ex serico confectis utetur. Mozzeret coloris violacei supra rochetum nunquam utitur, nisi intra Diocesim. Et postea consecratur modo dicto. Ex regularibus vero ordinibus promoti possunt se conforma-

mare cum Episcopis Sacularibus in forma, seu figura habitus, reinendo tamen colorem habitus suarum Religionis, Barb. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 9. ex n. 8.

166 In electione Prælatorum Regularium precipue attendendus est tenor constitutionum, & privilegiorum ordinis, in quo Prælatus eligitur, simul cum consuetudine, que est optima Legum interpres, Trid. sess. 25. de Regul. cap. 7. In non specialiter decisis sequenda est forma prescripta in C. Quia propter, 42. b. t. & juxta eam debent eligi Abbates, & Prælati, qui habent Ecclesias, & Monasteria in titulum perpetuum, quales sunt Abbates S. Benedicti, & Bernardi, &c. Jure ergo communi electio Prælati pertinet ad Conventum, pro quo eligitur, C. 2. c. 3. c. 4. 18. q. 2. C. 1. b. t. Et Electores debent esse ex eodem ordine, & Conventu, Clerici, & professi, saltem tacite, nam Novitij, nec Laici, seu conversi non debent cum Clericis, & professis electionibus interesse, C. 32. §. 1. b. t. in 6. Sed debent saltem in Subdiaconatu esse Constituti, ut de Canonicis Regularibus disponit, Cl. 2. de Stat. & qualis. Trid. sess. 22. de Ref. cap. 4. quod ipsa consuetudine interprete ad omnes Regulares extensum est. In ordinibus Militaribus, & Hospitalarijs habent suffragium Laici, dum sint professi, nec alias sunt Religionis membra, Gloss. in C. 32. b. t. in 6. Et ratio est: nam tales ordines non ad spiritualia, sed ad temporalia ministeria sunt instituti, que propria Laicorum sunt, ac proinde precipua Religionis pars ex Laicis componitur. A jure eligendi excluduntur Religiosi proprietarij, Trid. sess. 25. de Regul. cap. 2. Et qui ex ordine Mendicantium transierunt, etiam autoritate Apostolica ad non Mendicantes, Cl. 1. de Regular. & alij, qui specialiter in unaquaque Religione excluduntur.

167 Pro Prælatu eligendo sic de novo decrevit Trid. sess. 25. de Regul. cap. 6. In electione Superiorum quorum unque; Abbatum, temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum, quo omnia recte, & sine ulla fraude fiant, in primis S. Synodus districtè precipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita ut singularium eligentium nomina nunquam publicentur. Si vero contra hujus Decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit, & is, qui ad hunc effectum, se in Provincialem, Abbatem, aut Priorem creare permisit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis existat, facultateque

super bis concessa, eo ipso abrogata censentur, et si in posterum alia concedantur, tanquam subreptitia habeantur. Sed non quælibet ostensio alicujus schedula irritat electionem, sed, tantum, quando vota electorum publicantur dolo, vel culpa torius Capituli, vel ejus majoris partis: vel quando manifestatio plurium votorum, vel etiam unius esset realis causa, vel rationabiliter presumpta, quod electio hujus determinata personæ fieret, Barb. in Trid. sess. 25. de Regul. cap. 6. n. 4. nihil tamen electioni obstat, si postea suffragia, etiam temere publicentur, cum tamen nequeant in electionem influere. In superiore eligi non potest, qui non habet saltem 25. annum inceptum, Cl. 1. §. Caterum, de Statu Monach. Et hanc aetatem jure communi sufficere ad quamcumque Prælatum Regularem, etiam ad Generalatum, & ad quamcumque Prælatum Sacularem, extra Episcopatum, deducitur ex C. 7. §. Inferiora, b. t. Clem. 1. §. Caterum, de Stat. Monach. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 17. n. 30. Præterea eligendus debet esse professus: Novitius enim in Prælatum nequit eligi, C. 49. b. t. Quia in Magistrum assumi non debet, qui formam discipuli non assumpsit, nec est profectus, qui subesse non novit, debet enim emississe professionem expressè, expleto probationis anno, nec sufficit, si tacite professus sit, C. 28. b. t. in 6. Trident. sess. 25. de Regul. cap. 15. & 21. Et quidem debet esse in regula sufficienter instructus, C. 38. b. t. ad ideò non convenit, quod statim ac professus est in superiorem eligatur. In aliquibus Religionibus esse determinatum tempus, quod debet habere; in alijs relinquatur electoribus determinandum. Si alterius Monasterij ejusdem ordinis sit Prælatus, hoc ipso, quod ad aliud Monasterium eligatur, & acceptet, cum idem nequeat pluribus Monasterijs præesse, C. fin. de Relig. domib. prima Prælatura vacare censetur. Debet etiam eligendus esse illius Religionis ad quam gubernandam assumitur, quod si alterius Religionis sit, electio nulla erit, Cl. 1. b. t. Cum rationi non congruat, ut homines disparis professionis, vel habitus simul in ipsum Monasterium socientur. Etiam debet esse Presbyter, vel debet habere aetatem, ut intra annum à die, quo Prælatura possessionem adeptus est, vel potuit adipisci, Sacerdotium suscipere valeat, ut de alijs beneficijs Curatis dicitur in C. 7. §. Inferiora b. t. exceptis Religionibus, in quibus Prælati debent esse Laici, ut in ordine S. Joannis de Deo, &

& alijs. Inhabiles sunt ad Prælaturas illegitimas, corpore vitiosi, simoniaci, &c. & poenitentiam à S. Officio Inquisitionis, etiam poenitentiam compleverint ex *Decr. Urban. VIII.* nisi in his omnibus, ut potest juris positivi dispense Pontifex, *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 1. cap. 17. ex n. 30.* Denique Prælati debent esse in regimine cauti, humilis, castus, misericors, discretus, sobrius, & Divina præcepta verbis, & exemplis docere, *C. 15. r. 8. q. 2.* non turbulentus, & anxius, non nimius, & obstinatus, non zelotypus, & nimis suspiciosus, ut ex S. Benedicto, affert, *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 1. cap. 17. n. 39.* Et si omnia illius talenta uno verbo comprehendere velimus, debet esse prudens, & discretus, nam discretio est omnium virtutum mater, *C. 1. de Offic. Custod. &* ut quidam Poeta dixit: mensuram, & proportionem inter extremorum vitia definiens, & limites præcibens.

Est modus in rebus sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum

168 Abbates postquam eligebantur, debebant confirmari: & quidem olim, non exempti, ab Episcopo Diocesis: exempti vero à R. Pontifice: Hodie electio ipsa, quæ fit vel à Generali ordinis, vel à Definitorio habet vim confirmationis. Et post confirmationem debebant Abbates perpetui benedicti ab Episcopo Diocetano, *C. 1. de Supplend. neglig.* Hæc benedictio in die Dominica debebat fieri. Et quidem fiebat per manuum impositionem, quæ non sacramentalis, sed deprecatoria erat, & semel benedictus, si ad aliam transferretur Abbatiam, non erat iterum benediciendus; *arg. C. 1. c. 3. de Secum. Nuptijs.* Hodie ex concessione Pontificis vix aliquis Abbas indiget benedictione. Aliqui Abbates utuntur insignijs Episcopalibus, *C. 6. de Privileg. in 6. mitra,* scilicet baculo, muzeta, caputio, &c. non tamen possunt uti baldachino sine speciali privilegio, juxta cuius tenorem poterunt uti mitra vel *prætoriosa*, id est, contexta gemmis, & laminis, vel *auri fronsata*, quæ licet aliquas parvas margaritas possit habere, non tamen gemmas, vel laminas, vel *simplici*, scilicet, ex simplici Serico Damasceno confecta: possuntque hi Abbates benedictione solemniter, aliqua Pontificalia exercere, juxta tenorem tamen præcisum suorum privilegiorum, quem noqueunt in Episcoporum præjudicium excedere; *arg. L. 5. ff. Mandat. de hoc latè Barbos. de Jur. Eccl. lib. 1. cap. 17. ex n. 40. Masch. in Sum. lib. 4. p. 5. tract. 3. & alij.* Nullus

Regularis potest eligi, nec postulari ad Prælaturas Sæculares Episcopatu inferioribus, *Extr. un. de Postul. Præl. int. com.* Regularis si fiat Cardinalis, cum juro regularæ non sit subiectus, potest in electionem sui ad Episcopatum consentire, etiam si Religiosus maneat, *C. 24. b. 1. in 6.* Ad Episcopatum possunt eligi, & in sui electionem consentire Regulares, tam Mendicantes, quam non Mendicantes, etiam professi, & à fortiori etiam Novitij, *C. 28. b. 1. in 6.* exceptis Professis Societatis nostræ ob peculiare votum, non acceptandi has Dignitates, nisi à Papa earum acceptatio præcipiatur.

169 Circa electionem Abbatissarum, & aliarum Prælatarum, quæ etiam per vota secreta fieri debet, sic statuit, *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 7. Abbatissa, Priorissa, & quocumque alio nomine professa, vel præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si bis qualitatibus non reperitur in eodem Monasterio ex alio ejusdem Ordinis eligi possit: si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur; ex his, quæ in eodem Monasterio annum trigessimam excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio Superiore consentiente eligatur. Duobus vero Monasterijs nulla præficiatur, & si qua duo, vel plura quocumque modò obtinet, cogatur, uno excepto, intra sex menses cætera resignare: post id verò tempus, nisi resignaverit omnia ipso jure vacant. Is verò, qui electioni præest, Episcopus, sive alius Superior Clausura Monasterij non ingrediatur: sed ante Cancellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat. In reliquis servantur singularum Ordinum, vel Monasteriorum Constitutiones. Electio Abbatissarum, seu Priorissarum debet fieri ab ipsis Monialibus, *C. 1. b. 1. possuntque* eligere, quæ expressè, vel tacite professæ sunt, licet tantum possint eligi, quæ expressè sunt professæ, *C. 43. b. 1. in 6.* Episcopus, vel alius Præfès Capituli non habet votum in electione, quia non est de corpore Capituli, *C. 2. r. 18. q. 2.* in ipsum tamen potest compromitti electio, *C. 8. b. 1.* Olim eligenda in Abbatissam debebat esse Sexagenaria, *C. 12. c. 20. q. 1.* Hodie tamen, si eligatur Abbatissa, quæ non habeat 20. annos, electio est nulla, si in Monasterio alia quadragenaria habiles inveniantur, nec potest Episcopus in hoc statu juris communis dispensare, *Barbos. in Trid. sess. 25. de Regul. cap. 7. n. 8. & 9. Abbatissa,* quæ*

quæ benedictionem, vel consecrationem Virginum suscipiunt debent consequenter Virgines esse, *C. 12. 20. q. 1.* non verò alia, quæ tali benedictione non benedicuntur, *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 5. n. 22.* contra aliquos. Si electio Abbatissæ facta sit in concordia sufficit, quod consentiat in illam major pars votorum; *arg. C. 42. b. 1.* si aliqua ex eligentibus contradicant, debet habere duas partes suffragiorum, saltem per accessum, ut possit non obstante contradicitione confirmari. Permittitur tamen Monialibus adversus electam, ad eam removendam, etiam post confirmationem, & benedictionem, vel accusando, vel denunciando, agere, *C. 43. §. Sanè, b. 1. in 6.* si pro electa stet minor pars Capituli, vel pro duabus sint partes æquales, ad novum scrutinium procedendum est, quia nulli est jus adquisitum, & electio est irrita, *C. 42. b. 1.* nec datur locus accessui, nisi consuetudine, vel constitutionibus permittatur. Si scrutinio publicato, accedat ad electam in discordia major pars, licet non tot, ut duas partesificent, electa admittitur ad administrationem in temporalibus, & spiritualibus, excepta alienatione, & receptione alicujus Monialis, interim, ac superior ex officio plene, sed sine figura iudicij inquirat super idoneitate electæ, & electionis forma, *C. 43. §. Sanè, b. 1. in 6.* Electæ per compromissum benedictio datur, non obstante contradicitione minoris partis; sed si major pars se opponat, non confirmatur, liberè tamen administrat: si verò se opponat pars duplo major non administrat, nec confirmatur sed litis eventus est expectandus, *C. 43. §. Caterum, b. 1. in 6.* in Collegijs Nobilium foeminarum, & Canoniarum Sæcularium hæc erunt observanda: sed cum ipsa ordinem Religiosum non profiteantur, non requiritur professio neque in electis, neque in eligentibus, *C. 43. §. Supradicta, b. 1. in 6.* Abbatissa, & Priorissa expleto triennio suorum officiorum, non sunt denuo ad eadem officia eligenda absque licentia Sedis Apostolicæ, vel Sacræ Congregationis. Abbatissa potest sua soror in officio succedere, si nullum aliud obset impedimentum, & sic declaratum refert, *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 1. cap. 17. n. 25. & 26.*

170 Nunc de Romani Pontificis electione, ejusque praxi aliquid dicendum est. Mortuo enim R. Pontifice, Sedes Apostolica vacat, annulus Piscatoris rumpitur, omniaque officia, & Magistratus Ecclesiastici Romæ vacant. Vicarius Ro-

mæ, qui est unus ex Cardinalibus, durat, & etiam officium Camerarij, & Poenitentiarj Majoris, & Minorum, sed quidem ad forum conscientie tantum, in alijs cessat. Collegium Cardinalium, vacante Sede, non exercet jurisdictionem, quæ ad Pontificem, dum vivit, pertinet, nisi necessitas urgeat, nec potest creare Cardinales, nec pileum, vel alia insignia illis dare, nec corrigere, immutare, vel modificare Constitutiones Summorum Pontificum, *Cl. Ne Romani, 2. b. 1. Barbos. de Jur. Eccl. lib. 1. cap. 4. ex n. 91. Mach. in Sum. lib. 4. p. 7. tr. 3. doc. 3.* Mortuo igitur R. Pontifice in Curia, post decem dies ingrediuntur Cardinales in Conclavem ad electionem faciendam; nec ultra decem dies debent expectare abentes, nec nos specialiter vocare, cum non possit ipsos latere mors Pontificis, & Ecclesiæ mora sit noxia. Electio fit in Conclavi clauso, etiam intra tres dies post ingressum non eligant Pontificem, per quinque dies sequentes uno ferculo tam in prandio, quam in cæna debent esse contenti; quibus, provisione non facta, decursis; ex tunc tantummodo panis, vinum, & aqua illis ministratur, donec provilio, seu electio sequatur, *C. 3. §. 1. b. 1. in 6.* & quidem R. Pontifex potest eligi, vel per inspirationem, vel per compromissum, vel per scrutinium per suffragia secreta. Et hic modus usitatisimus est. Quicumque ergo fidelis, qui careat impedimento Juris Naturalis, & Divini si à duabus partibus concordantibus Cardinalium electus fuerit, & receptus, habendus est, tanquam R. Pontifex ab universali Ecclesia absque ulla exceptione, *C. 6. b. 1.* etiam non sit Cardinalis, quamvis hoc expediat, *C. 1. D. 23. c. 3. c. 4. D. 79.* Nec est necessarium quod sit Sacerdos sicut Cælestinus V. qui ex eremo vocatus, & creatus Pontifex fuit cum non esset in Sacris Consecratus; imò quamvis sit Laicus potest in Papam eligi, ut ex Carem. R. colligitur. Et etiam si uxoratus sit, dumtamen uxor consentiat, alias poterit ipsum repetere, *Sanch. de Matr. l. 7. D. 38. n. 12.* Et quamvis deceat, quod Pontifex sit maturæ ætatis, non tamen erit invalida electio, etiam si minor 30. annis eligatur, *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 1. cap. 1. n. 83.*

171 Cum Ecclesia destitetur successionem hæreditariam, non potest R. Pontifex sibi eligere successorem, *C. 3. cum seqq. 8. q. 1.* sicut diximus loquendo de Episcopis. Hæc potestas eligendi Pontificem olim erat penes universum Clerum

aliquando electio Imperatoribus nuntiatur, ut eam defenderent. Et sic debent intelligi, *Text. in C. 22. c. 23. D. 63.* tempore Nicolai II. concessum est Cardinalibus eligere Pontificem, sed non solis, quia eorum electioni accedebat approbatio Cleri, & Populi, *C. 1. D. 23.* sed per *Concil. Gener. Lateranense, in C. 6. b. t.* ad ipsos Cardinales privative restricta est hæc potestas, habentque prædicti vocem activam, etiam si nondum pileum, *Hispanæ, Capelo*, aut alia Cardinalia insignia adepti sint: neque os clausum, vel si clausum fuerit, nondum apertum sit. Cardinales nondum Diaconi, non habent votum in electione Pontificis, nisi forte quando creantur, hoc specialiter, ut regulariter fit, concedatur, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 1. ex n. 72.* Nec obstat Cardinalibus ad eligendum, nec ut eligantur, excommunicatio, vel alia censura. Si ceteris mortuis, vel absentibus unus tantum Cardinalis permaneret ad ipsum spectaret electio, quia tunc in eo Collegium Cardinalium conservaretur, *L. 7. §. fin. ff. Quod cuiusque universi. Gloss. in Cl. Ne Romani, b. t. v. Omnes, Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 1. n. 74.* Si omnes Cardinales mortui essent, pertineret electio, vel ad Concilium Generale, vel ad Clerum Romanum, vel ad Canonicos Lateranenses, tanquam membra prima illius capituli, & ubi D. Petrus suam Cathedralam, & sedem habuit. Et illa Ecclesia censetur esse super omnes Ecclesias Urbis, & Orbis, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 1. n. 75.* & alij, ut electio Pontificis sit Canonica, & valida debet electus habere duas partes, ex tribus partibus suffragiorum, *C. 6. b. t. c. 3. eod. in 6.* aliter facta electio irrita est, quia negotium gravissimum est, & confirmatione non indiget, nec eam potest habere, cum Pontifex nullum in terris superiorem habeat. Ipse enim electus acceptando electionem, per quam acceptationem ratificatur conjugium spirituale, statim fit Christi Vicarius, quin opponi possit aliqua exceptio. Casu vero quo non consentiant in unum duæ partes Cardinalium, possunt ipsi per accessum; id est, reformandum votum, & illud conferendo ei, pro quo est major pars, complere numerum suffragiorum requisitum, quin sit necessarium novum scrutinium. Modus eligendi talis est, suffragium in quadam scheda sic scribitur: *Ego N. Cardinalis eligo in Summum Pontificem N.* Et suo annulo obsignat dictam schedulam, qua parte est scriptum nomen eligentis: pars

verò ubi est scriptum nomen electi aperta relinquatur. Durante, imò & publicato scrutinio possunt Cardinales accedere electio per alios, & omnino resiliere ab electione, quam fecerunt. Etiam si aliquis unum tantum habeat suffragium in scrutinio possunt ipsi accedere Electores; quod si duas eligentium partes aliquis compleat, erit electus per accessum. Nullus tamen, tam in scheda scrutinij, quam accessus plures nominare valet: alioqui suffragium, in quo plures sint nominati, nullum est. In quolibet scrutinio tantum semel accedere licet: neque per accessum ab alterius nominatione scrutinio facta accedere creditur recedere. *Greg. XV. in Const. Eternum.* Quando non possunt aliqui venire ad capellam, ubi celebratur electio, tunc ipsis deferunt per scrutatores quadam arcula, in quam sua vota inferant, ibique declarant, an, & cui velint accedere. Hic accessus solum permittitur in electione S. Pontificis, & Abbatissarum, secus in electione Episcoporum, & aliorum. Votum se ipsum eligentis, etiam in compromisso per modum consensus, & complementi ad sui electionem irritatur per *Gregor. XV.* non tamen irritatur electio si in ipsum præter votum votum consentiant duæ partes: proinde, quando quis à duabus partibus electus est, non aperitur ejus scheda, & neque inspicitur, an sibi ipsi suffragium dederit, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 1. n. 97.* Et 104.

Per adorationem fit aliquando electio, quando, scilicet, duæ partes Cardinalium, nullo spectato scrutinio, sed voce tenus aliquem Cardinalem Pontificem salutant, & venerantur. Et sic aliqui fuerunt electi, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 1. n. 102.*

172 Facta electione Papa collocatur in throno, ornatur annulo Piscatoris, & solet novum nomen, relicto antiquo, sumere. Si erat Episcopus consecratus, consecratione non indiget: si secus, consecratur olim à Cardinali Holienfensi; hodie à Decano Cardinalium, id est, à primo inter Episcopos cum duobus alijs senioribus consecratur. Consecratio tantum ad actus ordinis est ipsi necessaria, nullo modo ad jurisdictionem. Et licet à nullo confirmetur, quia non habet superiorem, acceptatio Ecclesie, qua fideles acquiescunt electioni factæ à Cardinalibus, ita ut nemo, vel pauci contradicant, est quasi confirmatio, sanaturque omnes defectus tum electionis, tum electi, qui sunt juris humani, si qui inveniantur. Statim ergo ac Papa eligitur, & electionem acceptat,

etiam

etiam antequam consecratur, & coronatur, est verus Pontifex, habetque plenitudinem potestatis immediate à Deo collatam, *C. 1. D. 23. C. 13. de Judic. lib. Cum non humane Constitutioni, sed Divina potius innitatur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo. Suar. de Fide, D. 10. sect. 4. n. 3. & alij plurimi.* Et à die electionis recipit Pontificatus administrationem, *C. 9. D. 74.* licet de stylo non incipiat Pontificatus, nisi à die coronationis. Qui verò litteras concessas à Pontifice, ante diem suæ coronationis impugnant, sunt ipso jure excommunicati, *Extr. 2. de Sent. excom. int. com. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 1. ex n. 118.* Electio insuper imponitur *Tiregnum*, seu *Tiara*. Hæc enim est quadam Mitra tribus aureis Coronis circumdata, in cujus extremitate est globus Cruce coronatus. *Nicolaus I. An. 858.* unam coronam accepit, *Bonifacius VIII. An. 1294.* aliam addidit. *Urban. V. An. 1362.* tertiam denique imponit, forte in signum triplicis potestatis, quam R. Pontifex habet, scilicet, ordinis, jurisdictionis Ecclesiasticæ universalis, & temporalis in Patrimonio Ecclesiæ. Aliqui dicunt, quod Pontifices tres Coronas Tiaræ impulerunt, ut denotarent, se esse dominos totius Mundi, qui tunc tribus partibus, scilicet, Europa, Asia, & Africa consistere credebatur, quibus tres Coronæ correspondebant. Hoc nomen Tiaræ à Parthis, Persis, & alijs Orientalibus originem duxit. *Vid. Moreri Supplem. V. Tiare. Diction. de Trevoaux. V. Tiare, & alij.* Papa toto anni tempore utitur coloribus rubro, & albo, nam induitur veste talari alba, quam subthanam vocant, supraquam induitur rochetto, & caputio, seu mozzeta: utitur viroto rubro, ac calcamentis rubris, & desuper, Cruce aurata. A Sabbato Sancto post Missam usque ad Sabbatum in albis, etiam post Missam, utitur viroto, mozzeta, calcamentis, & stola albis. Tales vestes sunt, vel ex serico, vel ex lana diversæ qualitatis pro diversitate temporum. Religiosis factus Pontifex non tenetur habitum regularem retinere, aliqui verò SS. Pontifices laudabiliter retinuerunt habitum suæ Religionis, *Barbos. de Jur. Ecc. lib. 1. cap. 1. n. 121.* Romanus Pontifex Romæ Cathedralam debet habere: Nam illa Civitas Sacerdotalis, & Regia per Sacram B. Petri Sedem est caput totius Orbis effecta, *C. 17. b. t. in 6.* Si Papa ex quacunque causa fuisset invalide electus, & electioni renuntiare nolle, sequere pro Papa

Tom. I.

gereret, in Concilio Generali esset causa discutienda. Et post latam sententiam à Concilio de electionis nullitate, nova electio à Cardinalibus debeget fieri: nisi forte ad tollendum schisma expediret ab ipso Concilio electionem fieri. Et ita à Concilio Constantiensis Patribus electus fuit Martinus V. Electio R. Pontificis potest impugnari, si ipse aliquo impedimento Juris Naturalis, vel Divini laboraret: v. g. Si infans, hæreticus, non baptizatus, vel femina esset: vel etiam ex eo, quod electio sit simoniaca, *C. 9. D. 79.* vel coacta. Si tamen sit acceptatus pacifice ab Ecclesia, cum jam ex communi sententia sit de fide, R. Pontifex ab universalis Juris acceptatum, esse verum Pontificem, non est periculum, quod Ecclesia contentia in laborantem impedimento Juris Naturalis, vel Divini: ac ideo probatula habetur quod dicitur de Joanna Papissa, *Suar. de Fid. D. 10. sect. 5. Marini. Barb. & alij.*

173. Denique ad complementum hujus Tituli aliquid dicam, de electione Imperatoris, qui est Ecclesie Patronus, Protector, Procurator, & Defensor juratus, *Cl. 1. de Jur. jur.* prius enim eligitur Rex Romanorum, qui est Imperatoris Vicarius Generalis, agitque illius vices, tempore infirmitatis, & absentie Imperatoris, & abique nova electione mortuo Imperatore accipit Imperium. Vacante ergo Imperio, Archiepiscopus Moguntinus, qui est Cancellarius Germaniæ, tanquam Collegij Decanus, litteris suis potentibus certum diem electionis, & Conventum alijs Electoribus indicit: qui debent per se, vel per suos procuratores comparere. Quando ad electionem concurrunt, primum suffragium dat Archiepiscopus Treverensis Cancellarius Galliæ, & Regni Arrelatenfis. 2. Archiepiscopus Coloniensis, Italiæ Cancellarius. 3. Rex Bohemiæ Imperij Archiepiscopus, seu Pencilator. 4. Comes Palatinus Rheni, Archidapifer. 5. Dux Saxonie Archimarescallus, seu Enifer. 6. Marchio Brandenburgensis, Archicamerarius, vel Cubicularius, ultimo loco suffragium dat Archiepiscopus Moguntinus. Hi ab antiquo Electores sunt designati, *C. 34. b. t.* creati deinde fuerunt Dux Baviaræ *An. 1619.* & est Pomifer. Et Dux Hanoverensis, hodie Rex Angliæ *An. 1698;* & est Magnus Signifer. Electione legitime peracta, Imperium commendatur electo, & postea coronatur. Coronatio est triplex, Germanica, videlicet, Lombardica, & Romana,

H 2

I. co.

1. coronatur Corona ferrea Aquiligrani Ab Archiepiscopo Colonienfi, ibi ungitur, & illi traduntur Imperij insignia, scilicet gladius, sceptrum, & pomum: aliaque solemnitates hujus. 2. coronatur Corona argentea Modoctia ab Archiepiscopo Mediolanensi. 3. Romae Corona aurea a R. Pontifice. De quibus late *Mores in Diction. Hist. V. Alemagne. Diction. de Trevoux. V. Election, Et latissimi Restaur. Casald. integr. Tom. de Imperatore.*

TIT. VII.

De Translatione Episcopi.

174 **T**ranslatio Episcopi dicitur ille transitus, quo Episcopus, propria Ecclesia relicta, ad aliam vacantem transfertur. Etiam dicitur transmutatio: possuntque transferri Præpositus, Abbas, & Archiepiscopus. Et potest quis de minori ad majorem, patrem, vel minorem Ecclesiam transferri: quamvis regulariter non debeat fieri translatio ad minorem Ecclesiam, C. 1. b. t. ubi Innoc. III. ait: *Novo quodam mutationis genere parvificasti majorem; & magnum quodammodo minorasti, Episcopare Archiepiscopum, imò potius de Archiepiscopare præsumens.* Olim hæc translationes Episcoporum autoritate Synodi poterant fieri, C. 37. 7. q. 1. & probat Gonzal. in C. 1. b. t. n. 15. Sed cum hæc sit una ex majoribus Ecclesiæ causis, C. 2. b. t. merito R. Pontifex eam sibi reservavit, C. 1. b. t. l. 5. tit. 5. p. 1. ita ut nullus Episcopus, etiam Titularis, habens Ecclesiam in partibus Infidelium, possit ad aliam sine Papæ licentia transferri, C. 1. b. t. Gonz. in C. 2. b. t. n. 3. Nec debet fieri translatio, si non detur necessitas, vel utilitas v. g. Si Episcopus in ea Ecclesia patitur æris intemperiem, vel persecutionem plebis, vel si sit spes majoris lucri spiritualis in Ecclesia, ad quam transferretur: quinimò ex minoribus causis potest fieri translatio. Non solum non potest Episcopus autoritate propria ad aliam Diocesim transferri, sed nec ipsi licet Sedem Cathedralem mutare in aliam Civitatem, etiam ejusdem Diocesis, ut ex illis verbis, *Tex. in C. 1. b. t. translationes Episcoporum, & sedium mutationes colligit Gonz. ibid. num. 11.* debent ergo fieri hujusmodi translationes tantum, quando utilitas, vel necessitas hoc exigit, C. 34. 7. q. 1. ibi: *Mutationes Episcoporum, scilicet, communi*

utilitate, atque necessitate fieri licet; sed non propria cujusquam voluntate, aut dominatione. Petrus Sanctus Magister noster, & Princeps Apostolorum de Antiochia utilitatis causa translatus est Romam, ut ibidem potius proficere posset. Eusebius quoque de quadam parva Civitate, Apostolica auctoritate mutatus est Alexandriam: non tamen sine Sacrosanctæ R. Sedis autoritate, & licentia.

175 Episcopus tantum electus, etiam si confirmationem petierit, non indiget ad translationem Pontificis licentia, cum sine superioris autoritate possit Episcopatu renuntiare: quando vero confirmatus est, cum jam sit ratum conjugium spirituale inter ipsum, & suam Ecclesiam, non potest sine Papæ licentia celebrare conjugium cum alia Ecclesia, nec ad illam transire, C. 2. b. t. sed si propria autoritate transeat, utramque amittit in poenam temeritatis, C. 3. b. t. c. 31. 7. q. 1. ibi: *Non solum à Cathedra pellatur aliena; sed carebit, & propria, ut nec illi præsideat, quos per avaritiam concupiscit, nec illis, quos per superbiam sprebit.* Episcopus consecratus etiam potest ad aliam Ecclesiam transferri autoritate Pontificis, C. 34. c. 35. 7. q. 1. Et cum Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam suo tantum judicio reservaverit dissolvendum, tunc Papa dissolvit autoritate Divina, potestatem immediate ipsi tamquam Supremo Christi Vicario à Christo concessa, C. 2. b. t. ibi: *Non enim humana, sed potius Divina potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate R. Pontificis (quem constat esse Vicarium Jesu-Christi) Episcopus ab Ecclesia remouetur, & ideo tria hæc, quæ præmissimus, non tam Constitutione Canonica, quam institutione Divina soli sunt R. Pontifici reservata.* Hic textus verè difficilis, Crux ingeniorum est, & ideo non debet accipi in stricta significatione, quam præferret, & ut aliqui eum intelligunt, inde deducendo, vinculum Episcopi cum Ecclesia esse indissolubile de Jure Divino. Nam verius est à jure tantum Ecclesiastico, hæc indissolubilitatem provenire, & *Tex. in C. 2. b. t.* intelligendus est scilicet, quod Deus reservavit sibi dissolutionem vinculi Episcopalis eo modo, quo prædictum vinculum dissolvitur autoritate Divina, hoc est, autoritate divinitus data Christi Vicario: ac proinde dicendum est, quod Deus sibi hæc dissolutionem reservavit, sed faciendam per

suis

suum Vicarium, ac consequenter est ex institutione Divina, non immediate, sed mediate, *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 1. cap. 16. ex n. 20.* inter Episcopum enim, & Ecclesiam intervenit matrimonium, per quamdam analogiam cum matrimonio carnali, quæ ita in eo, quod neutrum possit dissolvi ex voluntate contrahentium, non tamen stat analogia in alijs; siquidem matrimonium carnale, neque ex Pontificis dispensatione potest dissolvi, postquam jam consummatum est, quod aliter se habet in matrimonio spirituali per consecrationem consummato: quia hoc non significat conjunctionem indissolubilem Christi cum Ecclesia, ut significat carnale, C. 5. de Bigam. Deinde ex Pontificis dispensatione potest idem Episcopus duas simul habere Ecclesias, cum certum sit, quod Pontifex non potest dispensare, ut quis simul duas habeat uxores. Et hac ratione matrimonium carnale est indissolubilius, & efficacius quam spirituale. Hoc tamen dicitur fortius vinculum in C. 2. b. t. quia eo quod spirituale est, dignius carnali tenetur, & est efficacius, quia per consecrationem imprimitur character indelebilis in anima, & aliquomodo est indissolubilius, quia sine licentia Papæ non potest Episcopus à sua Ecclesia discedere, cum in carnali possint conjuges mutuo consensu separari quoad torum, & cohabitationem, *Suar. de Relig. t. 3. lib. 1. cap. 16. Gonz. in c. 1. b. t. n. 16. Villaruel de Regim. Eccles. p. 1. q. 1. art. 13. n. 52.*

176 Pontifex communi utilitate, vel necessitate suggerente, Episcopum, etiam invitum, potest abolere à vinculo, quo Ecclesia sua ligatus est, ita ut Ecclesia hoc ipso vacet: non tamen potest invitum transferre, quia cum sic translatus contrahat conjugium spirituale cum Ecclesia, C. 2. b. t. debet præcedere consensus sponsi, arg. C. 14. de Sponsal. C. 21. de Election. sed si bonum publicum Ecclesiæ hæc exigat translationem, tenetur ipse Episcopus consentire; quod si renuat, potest cogi poenis à Pontifice influctis, ut consentiat, C. 35. 7. q. 1. ibi: *Non ergo mutat Sedem, qui non mutat mentem, id est, qui non causa avaritia, aut propria voluntatis, vel sue delectionis migrat de Civitate ad Civitatem, sed causa necessitatis, aut utilitatis mutatur: nam plurimorum utilitas unius utilitati, aut voluntati præferenda est: aliud est enim mutare, aliud mutari.* Hujusmodi translationes jam à tempore Julij I. & Concilij Sardicensis tempore Olij in usu sunt in Ecclesia: ex *Suar. de Relig. t. 3.*

lib. 1. cap. 16. n. 12. & frequenter in nostra Hispania sunt. Nam nostri Reges præstant Episcopos ad majores, & aliores Ecclesias, ut sic zelus, virtus, & merita ipsorum præmio debito afficiantur: Nec illicò damnum est, quod quis desideret promotionem, vel translationem ad Episcopatum, nam potest ex bono fine, modo, & circumstantijs tale desiderium coonestari, *Villaruel de Regim. Eccles. p. 1. q. 1. art. 13. ex n. 54.*

177 Per translationem vacat prima Ecclesia, ne alias esset sponfus duarum, C. 2. b. t. non solum post adeptam secundam possessionem, sed etiam ante illam: Nam supposito consensu translata, statim ac Pontifex eum solvit à vinculo primæ Ecclesiæ, hæc vacans intelligitur, & ex tunc Episcopus, nec per se, nec per Vicarium potest jurisdictionem exercere, ut tenent *Solorz. de Jur. Indiarum tom. 3. lib. 3. cap. 13. n. 80. Greg. Lop. in l. 3. tit. 16. p. 1. contra Garc. de Benef. p. 11. cap. 6. & alios.* Imò in his Indiarum Provincijs, quando Episcopus accepto Regio Rescripto suæ translationis iter arripit ad secundam Ecclesiam gubernandam, etiam si ignoret, an Pontifex eum à vinculo primæ Ecclesiæ solverit, tenent plures, primam Ecclesiam vacare per renuntiationem saltem tacitam translata, quod alij negant: & hinc plures lites, & discordiæ originem habuerunt. Ideò optimum erit consilium, si Episcopus translatus committat gubernationem Capitulo, ut hoc eligat Vicarium. Nam hoc modo, vel facultate Episcopi, vel Capitulo securius exercetur jurisdictio, & nullitati actuum obviabitur, hocque temerarium discordiarum, & litium de medio tollitur magno cum commodo fidelium, & conscientiarum. Late *Solorz. de Jur. Indiarum tom. 2. lib. 3. cap. 13. ex n. 72. Villar. de Regim. Eccles. p. 1. q. 1. art. 14. ex n. 14.*

178 Prælati Episcopo inferiores exempti indigent licentia Papæ, cui immediate subdiciuntur, ut transferantur. Non exempti indigent autoritate sui immediati Superioris, vel Episcopi, vel Capituli Sede vacante, C. 8. 18. q. 2. Et etiam Episcopi Diocesis, in qua sita est Ecclesia, ad quam transferuntur, C. 4. de Renuntiat. C. fin. de Cleric. peregr. non requiritur licentia Papæ, quia non intercedit conjugium spirituale inter ipsos, & Ecclesias eo modo, quo inter Episcopos, & suas Ecclesias, sed alio modo adhuc latiori, in quo sensu Ecclesiæ viduata dicuntur C. 41. de Elect. solum enim Episcopi de jure communi

suis